





11. y. 35.





IOANNIS. FREDRICI. SCHREIBER
REGIOMONTANI

OBSERVATIONES
ET COGITATA

DE

PESTILENTIA

Q V A E
ANNIS. MDCCXXXVIII. ET. MDCCXXXIX
I N. V C R A I N I A
GRASSATA. EST

ADCESSIT. ADPENDIX
CONTINENS

O B S E R V A T I O N E S
DE. EADEM. LVE. DE. IISDEM. ANNIS
ODZACOVIVM. VASTAVIT



B E R O L I N I
A P V D. A M B R O S I V M. H A V D E
Bibliop. Reg. et Academ. Reg. Scient. priuilegiatum
MDCCXLIV.

2673



DIOSCORIDES:

Fere plurimorum uenenorum facultates in consimiles effectus corpus tandem deducunt. Quam ob caussam, plerisque communia conducunt auxilia. Varia equidem sunt uenenorum genera: communes tamen, nec ita multi, qui ex iis oriuntur, affectus.



A V C T O R
LECTORIBVS
SALVTEM. DICIT



uum Anno 1738. Pestilentia Verainam inuasisset , primo autumno mihi iniunctum fuit , ut inquirerem sedulo ; an et quae ibi loca sana essent , in quibus , miles , a uictoria redux , hieme , stationem facere posset . Oppidulum , custodia circummunitum , tunc sum ingressus , in quo conspexi adolescentem , cum carbone pestilentii modo mortuum . Atque tunc , inter peregrinandum , de miro Pestilentiae ingenio prima mentem meam incessit cogitatio . Dein Moscuae aliquamdiu commoratus , obseruationes , quas Medici et Chirurgi periti , quibus , uel sanandae , uel auertendae pestilentiae officium datum erat , ad Illustrem tunc Archiatrum , IOANNEM BERNARDVM DE FISCHER , transmiserant , ex singulari

Eiusdem Benevolentia, recepi. Eas, quam-
quam alicubi sat mancas, ut calamitosis talibus
temporibus euenire solet, ordinaui, et Anno 1740.
hic in lucem emisi, una cum Pathologia et The-
rapia Pestis, quae a recepta plurimum differe-
bat. Nonnulli Clari Viri, eis lectis, in di-
uersa iuerunt; adeoque non inutile fore existi-
maui, si, omnia recogitando, propositam senten-
tiam ulterius corroborarem. Quae cauſſa est,
ut iterum prodeat illud, quale nunc est, scriptum.
In fine adiunxi Observations, in Pestilentia
Odzacouensi factas, quas GEORGIVS
SAMVEL POHLMANN, peritus, pro-
bus, et fide dignissimus Chirurgus, qui tunc
pestiferis medicinam fecit, mecum communica-
uit. Eas digessi eum in ordinem, ut prioribus
de Vcrainensi respondeant. Petropoli,

Mense Decembre Anni 1743.



OBSER-



OBSERVATIO I.

Nec in aere, nec in uictu, ulla mutatio sensibilis contigit, quae morbo occasio-
nem praebere potuisset. Adtamen,
mense Iunio, febres acutae multae, ua-
riae, denique petechiales. Inerat, in
urinis, color, atque habitus cereuisiae albae.

Consectarium 1. Tunc incidit suspicio, ea-
que non immerito, pestem, *Odzacouii* prius
genitam, translatam esse, ope fomitis, in *Vcrai-
niam*, ubi dira contagia dein serpserunt per in-
cautum uulgus.

OBSEVATI^O 2. Etenim, mense Ju-
lio, usque in biemem intensissimam, immo alicubi
locorum et per eam integrum, saeuuit morbus po-
pularis, quem describere, animum induxi, nunc
cum signis externis, nunc absque illis. Erant
autem illa bubones, cum inguinum, tum axilla-
rum rariores : et paucis parotides ; carbunculi ;
atque petechiae.

Consectarium 2. Morbus, quem descriptu-
rus sum, est pestilens, uel ipsa pestis, prout

6 OBSERVATIONES DE PESTILENTIA,

omnes scriptores de *Peste* utrumque morbum depinxerunt.

Observationes, quae sequuntur, ad declarandum, aliquo modo, naturam pestilentis seminii, adiungo.

OBSERVATIO 3. Nonnulla loca paludosa, infectis locis propinqua, impune incolebantur. Contra ; fuerunt loca, ab infectis, magno interuallo, remota, ut et in alto constituta, quae eadem uexabat aegritudo, intermediis sanissimis.

OBSERVATIO 4. Noui pagum populosum, in quo, rebus illico rite dispositis, saltim duo homines, illo morbo, ceciderunt, media hieme.

OBSERVATIO 5. Retulit Chirurgus, fide dignus, se, in locis infectis, nullas aues obuolitantes obseruasse. Ipsi autem usque supernatasse nebulam, uel sereno coelo. Medio mense Septembre, ipsa meridie, dum omnino sudum esset, ingressus sum oppidulum, per tres menses clausum, in quo conspexi adolescentem, modo mortuum cum carbunculo ; atque similem notaui nubeculam. Hanc semper adfuisse, et incolae, et custodes testati sunt. In peste Nouiomagensi, aues silvestres defecerunt, nidis, pullis, atque ouis desertis. ISBRANDVS DE DIEMERBROECK de Peste L.I. C.IV. VI.

Consecrarium 3. Videlur ex his, nec non ex Observatione 3. et 4. Adpendicis, certo sequi, quod seminium pestilens aeri uere insit.

OBSER-

O B S E R V A T I O 6. Nonnulli aegrotare inceperant, cum anxietatibus inexplicabilibus ad praecordia, dolore laterum, aestu interno: rubore uultus, ac tantis deliriis, ut furibundi fierent. Hi moriebantur, die secundo uel tertio. Qui post talia fata secabatur, ostendit pulmones, paruis, liquidis, maculis obsitos.

C o n s e c t a r i u m 4. Seminium pestilens, cum aere inspiratum in cellulosam pulmonum fabricam, effecit tenerrimarum arteriolarum sanguineam inflammationem, quae, duobus uel tribus diebus, finiit in gangraenam, et sphacelum ipsorum.

C o n s e c t a r i u m 5. Adeoque illud seminium habuit indolem, uel causticam, uel adstringentem, uel coagulantem.

C o n s e c t a r i u m 6. Nil obstat, quo minus putemus, seminium pestilens, una cum particulis aeris, intrare posse collocatas in balneo uaporoso pulmonum uenulas, quarum auxilio, perueniat in uias communes sanguinis, atque ita cum sanguine ad cerebrum, ad axillarum glandulas, uel alia loca; ibi effecturum deliria, vel sopores; hic tumores glandulosos. Sed, in cavitatibus, uenarum pulmonalium, cordis sinistri, atque aortae, potius pati uidetur a torrente sanguinis, quam aliquid agere. Nullum enim agendi ibi habet tempus.

O B S E R V A T I O 7. Chirurgus non timidus, et qui iam diu pestiferis opem tulerat, manubrium

scalpelli in nosocomio incaute ore tenens, quo modo bubones aperuerat, et carbunculos scarifarat, dum reuersus, mox nauseauit, tandem bubonibus inguinum correptus est, quibus apertis et fluentibus, conualuit, sed sero.

Consectarium 7. Seminium pestilens cum humoribus oris quandoque ingreditur uentriculum, tuncque hunc primum adoritur.

Consectarium 8. Pus atque sanies bubonum et carbonum pestilentium, in uiuo corpore recens apertorum, habent seminium contagiosum.

OBSERVATIO 8. Mulier marito, lue pestis contaminato, in eodem lecto, per omnem morbi decursum, impune adcubuit. Filia eius, cum carbone, die morbi quinto, obiens maniaca, matrem momordit ad pectus, ut demorsa cutis mordentis dentibus inhaereret. Vulneri mater applicuit roob sambuci, cotidie renouatum; eo successu, ut uulnus, intra nouem dies, consolidaretur, ipsa semper sanissima. Haec contigerunt, quo tempore in uigore constituta fuit pestis.

Consectarium 9. Non est uero simile, seminium pestilens imbibi uenis absorbentibus cutis, et, per eas, deferri in corpus humanum, quando pestis est in augmento, uel uigore; nisi eae redditiae fuerint bibaces, per uenae sectionem, uel per purgans atque laxans medicamentum. Id persuadent creberrimae obseruationes, quas adducit

ducit I. de DIEMERBROECK in *Tractatu citato*, ubi homines, quibus, licet abundantibus bono sanguine, et uenae sectioni adsuetis, tempore uerno, et pestis, sanguis emittebatur, mox conceperunt morbum contagiosum, et sunt mortui; dum famelicae uenae hauserunt uenenum pestilens. Adparitiones, quae initium ac progressum huius morbi comitantur, quando quis tunc adfligitur, idem euincere videntur. Nulla prostat obseruatio, morbum pestilentem, *in illo uigore Pestis*, uel in uno homine incepisse, cum aliquo morbo externo. An absorptiō nem illius seminii in uenas cutaneas uetat ipsa seminii natura, tunc actuosissimi (*Consect. 5*)? Sed, quae uenae ad loca, cute orba, ubi epithelia, collocatae sunt, eae uenenum hoc facillime inspirant, in primis, quando summa tensione orificia ipsarum patula maxume omnium hiant; uti fit ad glandem colis, dum uir cum pestifera femina coit; et ad mammarum papillas, dum lactans infans nutricem suam inficit: uti *Obseruatores* testantur.

Consectarium 10. Seminium pestilens non uidetur inesse saliuae hominis, peste correpti, quamdiu illa aerem oris, sibi admixtum, non dum habet. Nullus enim fit morsus, sine aliqua saliuae expressione, uel infitione cuiusdam humoris oralis in uulnus. An potius hic adtendenda sunt, quae in antecedente *Consectario* adduxī?

OBSERVATIO 9. Mater, peste infecta, exstinguebatur, die morbi sexto, cum haemorrhagia narium, sine ullo alio signo. Haec, per quatuor morbi dies, lactarat infantem saluum superstitem. Pluries obseruatum, nutrices, peste infectas, infantes lactasse, sine ullo horum detrimento.

Consecrarium II. An seminium pestilens iners reddi potest, oleo lactis obuolutum? Enimuero, illud inesse lacti, probat I. de DIERBROECK, qui L. IV. Hist. XXVI. l. c. narrat, lactantes infantes mortuos esse, una cum infectis matribus: immo, infantibus mortuis, quoque periisse iuniores caniculas, quas nimis repletis mammis exsugendis admouerant. Quo tempore pestis perfecte grassabatur, modus contagii se habuit, sequentem in modum; non tamen adtendendo adcuratae successioni symptomatum, quam in obseruatis desiderauit.

OBSERVATIO IO. Horripulatio, frigus. Tunc pulsus tardissimus, debilis. Post calor et aestus. Pulsus durus, ac velox. Anxietas. Palpitatio cordis. Deliria; aliis sopor. Lassitudo omnium membrorum. Pressiones, atque ardores circa scrobiculum cordis. Nausea, quandoque uomitus biliosorum, atro-uiridescentium et foetidorum. Qui uero non uomuerunt, illi similia deicerunt.

OBSERVATIO II. Quibus ita infectis, primo die, radix ypecacuanhae, aut et vitriolum album,

album, exhibebatur: iis pulsus mox in febrilem transibat, et, die morbi quarto uel quinto, oriebantur bubones aut carbunculi. Enimuero, qui, eo ipso die, uomitorii auxilio non fruebantur, his, die secundo uel tertio, priora irritati uentriculi signa augebantur omnia (Obs. 10.) Post emeticum, talibus aegris die tertio forte datum, hi extinguebantur, die quinto uel sexto, cum conuulsionibus, et petechiis nigris in agone.

Consectarium 12. Seminium pestilens, per aera dispersum, est tenuissimum, fracidissimum alcali. Hoc satis patet ex pluribus obseruationibus. Ex adparitionibus morbi: nausea, uomitu, deiectionibus biliosorum ac foetidorum (Obs. 10. et Obseru. 6. (b.c.) Adpendicis). Ex haemorrhagia narium rebelli, sanguine per alcali dissolutissimo (Obseru. 9. et Obseru. 6. (m) Adpend.) Ex ortu morbi (Obseru. 1. Adpend.) Ex corruptione instrumentorum (Obseru. 3. Adpend.) Ex fine furoris pestilentis post terrae motum (Obseru. 4. Adpend.), si ille sit ab explosionibus sulphureis sub terra, unde spiritus sulphuris paratur, destructor alcali. In Peste Noviomagensi, anhelitus ualde foetens, quasi carnium putrescentium foetorem olens, obseruatus est. I. de DIEMERBROECK l.c. L.I. C.XV. Quam noxius ibi fuit aquae saponatae foetor, in qua sordida lintermina lota fuerunt! Qui, in domo prius sanissima, corripuit plures, dum omnes originem morbi foetori adscripserint. Ab eo nauseam et uomiti-

uomitum similiter passus est ipse de DIEMER-BROECK l.c. L.II. C.III.

Consectarium 13. Hocce seminium summae acrimoniae, uentriculo, cum saliuia, cibo et potu (*Consecr. 7. et Obseru. 6. (a) Adpendic.*), forte receptum, copiosiores et nudiores ad huius orificium finistrum positos neruos primum adficit, et, die secundo vel tertio, ipsum uentriculum perfecte inflammat, humoribus, uentriculo et intestino duodeno propriis, in subitissimae putredinis societatem simul raptis. Illud orificium est locus, ubi, in Peste, reperiuntur carbunculi.

I. de DIEMER BROECK l.c. L.IV. Hist. XV.

Consectarium 14. Ventriculo ita adfecto, facilime adficiuntur diaphragma; eius nerus sinister; cor; pulmones. Inde, a solo uentriculo adfecto: *Palpitatio cordis; Anxietas; Alterationes pulsus; Lipothymiae; Syncope.* Quo unico non animaduerso, Optumi Viri dixerunt, cor, principio Pestis, fere semper impugnari: id quod fieri posse repugnat (*Consecr. 6.*). Inde damnum in Praxi manauit praeiudicium; *uomitoria in Peste nihil ualere;* quae tamen admodum ualent (*Obseru. 10. 27. et Obs. 13. Adpend.*), principio morbi; *cor liberandum esse ab hoste,* commouendo omnes corporis humores per alexipharmacum ac sudorifera, calida, stimulantia; quae uti nullis malignis febribus bona, in Peste eo peiora sunt, quo haec ceteras malignas, malignitate, antecellit.

Consecrata-

Consectarium 15. Seminium pestilens, uentriculo conceptum, uomitu cito prolecto, debilitatur, sed totum non tollitur. Etenim, post uomitum artificiale, illicet excitatum, minor metus mortis, atque symptomata omnia leuiora (*Obseru. II. 14.*). Ipse adeo minuit uirus seminii. Quia tamen bubones et carbunculi nihilo minus enati, qui omnes seminio contagioso non carent (*Consect. 8.*), ipsum seminium, per uomitum, integre non tollitur.

Consectarium 16. An ad intelligendum qualitates eiectorum uomitu (*Obseru. 6. (o) Append.*), facit experimentum GEORGII BAGLIVI, ubi recens uitulina bilis, mixta cum oleo tartari per deliquium, dedit concretum, of fam albam, quae in reliquo liquore, hinc inde ueluti diuulsa, innatauit? Mihi haec res non liquet, dum ex miscela bilis uariorum animantium cum eodem corpore, uarium mixtum fieri soleat.

OBSERVATIO 12. In cadaueribus horum, quos pestis iugulauit, uesticula fellis tumens uisa, felleque fluido, flauescente, repletissima. Flauescabant similiter partes, eidem vicinae.

Consectarium 17. Seminium pestilens, ventriculo haustum, in uigore pestis, proserpensque citius in duodenum intestinum, ubi simul bilem mutat (*Consect. 13.*), absorbetur uenis, in uentriculum et duodenum patulis, harumque auxilio, humoribus circulantibus immiscetur. Dum enim

enim calor ventriculi, in corpore humano sano, ad thermometrum STEPHANI HALES, est graduum 64, calor ad superficiem cutis tantum habet 54. gradus. *Vegetable Staticks Experim. XX.* Pensilis uentriculi uenae bibulae, ad bibendum, si quae, quam maxume adsuetae, insuper in continuo motu sunt constitutae. Quare absorbtio subtilissimi miasmatis in venas, illis de caussis, est in maiore ratione in uentriculo, quam in cute. Neque uirulentia nimia miasmatis ingressum in ventriculi uenas ita impedit, ut in uenas cutis (*Consect. 9.*). Etenim imminuta est in uentriculo, tam per aquam humorum oris et uentriculi, quam per sales nitrosos, qui illis ipsis humoribus infunt. Ex quo etiam intelligitur possibilitas absorbtionis in pulmonum uenulas (*Consect. 6.*)

Consectarium 18. Spiritus pestilens adeo per hanc uiam ingreditur *Venam portarum*, cuius praecellenti robore intime permiscetur cum adfluente undique sanguine; cum fluidissimo lienis; cum pingui omenti; cum acriori intestinorum. Vnde (*Consect. 12.*) non potest non nasci degener bilis, atque fluidissima: atque rarescens, quae, per uesiculae tunicas transudando, propinqua inficit: et quae copiose influit in intestinum duodenum. Sic intelligi posse uidentur uomitus et deiectiones biliosorum ac foetidorum in hominibus, qui miasma pestilens uentriculo ceperunt (*Obseru. 10.*) Ut et bilis, uomitus

tus initium uel finem comitata *Obseru. 6.* (o)
Adpend.).

Consectarium 19. Atque ita *Bilis* est ille li-
quor humanus, cui caracter pestilens omnium
profundissime impressus est: siue consideres
eius naturalem in alcali proclivitatem, siue or-
tum in homine pestifero, ex multiplici sanguine,
iam mutato per ipsum spiritum pestilentem,
omni sua ui inexistentem, et perfecte commix-
tum particulis sanguinis. Hoc confirmatur ex-
perimento *D E I D I E R*, qui peste bubonacea ac
carbunculosa uiuos canes adfecit, uenis ipsorum
iniiciundo bilem, aqua dilutam, de folliculis pe-
ste demortuorum.

O B S E R V A T I O 13. *Peste iam inualida, ut*
*per paucos tantum corriperet, sicque fere sporadi-
ca dici mereretur, qui ea adficiebantur, se omnino*
*habebant, ut sani. His derepente oriebantur bu-
bones, aut carbunculi, aut utrique. Ast febris*
omnino nulla.

Consectarium 20. Adeoque seminia pestilen-
tia, gradu uirulentiae, inter se differunt. Aliud
miasma est magis alcalinum; aliud minus (*Con-
secr. 12.*). Adtamen utrumque pestilentiae ue-
neno est tinctum.

Consectarium 21. Pro hac diuersitate miasma-
tum, ipsae Pestes inter se differunt. *Alia Pestis*
est magis maligna; alia minus.

Consectarium 22. Constat simul certissime,
in *Peste* non multum maligna, seminium huius
non

non adeo alcalinum, introire uenas cutis, atque in corpore humano morbum pestilentem inchoare, cum aliquo signo externo. Idem illud seminium, eo tempore, sine damno deglutitur, quoniam in uentriculo corrigitur per ea, quae in *Confectar.* 17. adduxi, ut intus nocere non possit.

OBSERVATIO 14. *Peste in statu constituta, quibus bubones ante duri, aut carbunculi, die morbi quinto, in suppurationem tendebant, ac postea suppurrabantur; in iis omnia leuiora fiebant; et denique conualescabant omnes, inter intervallo hebdomadum quinque uel sex, abscessibus recte diuque fluentibus.*

Quos per parotidas iudicatos notarunt, illis, ad haec loca, nascebantur ueri carbunculi, uel parotides in cancros mutabantur. In cadauere adolescentis, die morbi quinto, extincti, lustrauit uerum carbonem, ad locum sinistram parotidis. In alio, similiter iudicato, obstructio parotidum degenerauit in ulcus cancrosum, per aurem integrum et dimidiam maxillam serpens. Eo excisso, sanabatur aeger.

OBSERVATIO 15. Initia, incrementa et status carbunculorum docent sequentia:

Sub cuticula promicabat punctum rubrum, quod totius carbunculi centrum postea futurum. Illi circumposita liuebant, infectione in omnem ambitum sensim latescente. Tandem nigricabant, atque tumebant. Sicque toti carbunculo nascebatur figura

*figura fere elliptica, cuius circumferentia rubra,
papulis interstincta.*

*Nonnumquam pustulae cum apice albido elatae,
quas iurasses uariolas, serpebant in latum, tan-
demque mutabantur in carbunculum uerum, eum-
que vitae proficuum.*

*Exciderunt autem integra scrota sphacelata
maribus, aliaque cineritia, ad librae pondus.
Immo uero ad hypogastrium excisus carbo, $\frac{7}{4}$ li-
brae pendens, ut intestinorum motus peristalticus
cerneretur: aegro ad tamen persanato. Plerum-
que infederunt loca cutanea, obducta claviculae;
spinae dorsi; rotulae; ac parti superiori et
posteriori tibiae; nec non abdominalibus, supra
annulum, uersus lineam candidam. Per ipsorum
anatomem constitit, omnia, inter musculos et cu-
ticulae superficiem interiecta, fuisse mortua.*

In *Peste Nouiomagensi*, carbuncolorum simil-
limus fuit ortus. I. de DIEMERBROECK
l. c. Lib. I. Cap. VII. *Annot. VIII.* Nec non; in
Odzacouiensi (*Obseru. 8. Append.*)

*Consectarium 23. Carbunculi externi, mor-
bi cutis, fiunt, dum seminium pestilens infer-
tur tunicae cellulosa uasis. Vti enim illa per
corpus uniuersum distributa est: ita et carbun-
culi nusquam non fiunt. (Obseru. 8. Appendic.)
Vti eadem fabrica flatui facillime cedit, nisi in
uola manus et planta pedis, siue, *ob singularem*
duritiem et crassitatem eius, siue, *quod ibi magni,**

continui, pinguedinis globuli in areis retis cuius-dam tendinei firmiter continentur, unde aer, tunicam cellulosa immaniter expandens ubique, his tamen duobus locis excluditur. M E R Y *Hist. de l' Academie Rojale des Sciences* 1713 : ita haec duo loca numquam patiuntur carbunculos (*Obseru. cit.*)

Consectarium 24. Seminium pestilens, uen-triculo immissum, debilitatum uomitu, et denique illatum humoribus circulantibus, congregatur, ope naturae corporis humani, in locum omnium maxume cedentem, id est, tunicam cellulosa semper ; unde migrat uel in loca cutanea, unum, uel aliqua, quae enecat, donec, suppuratione, arte promota et continuata, salubri euacuatione eiiciatur, cum omni sua praua sobole ; uel in glandulas serosas parotidum, maxillae inferioris, ceruicis, alarum et inguinum ; simili modo, ibi exterminandum. In peste bubones interna a ueneno praeferuant. Sic omnes scripserunt de *Peste*.

Consectarium 25. In loco carbunculi, est ob-structio maiorum vasorum, quibus membrana cellulosa eius loci donata est, facta a seminii prauis effectis in humores, una cum ipso eo delatis. Etenim carbunculi ortus profundior est (*Obseru. 8. Append.*). Inde uasa minima, ad superficiem conterminam externam euntia, et comprimuntur, et inaniuntur, et absinduntur. Sicque intelliguntur phaenomena : Vesicula ab effusis humo-

humoribus ex ruptis uasculis: Rubedo, liuedo, nigredo; Subsidentia centri; Papulae in circumferentia; Tegumentorum communium mors; et ab aere factitio ex stagnantibus putrefactisque, tumor flatulentus. Qua de caussa, membrana cellulosa tota flatibus repletur. Vti clare adparuit in pessimis variolis, suppuratione ipsarum absoluta. IOANNES FRIDERICVS HERELIVS *de usu primario pororum corporis humani.*

OBSERVATIO 16. *Qui carbunculi non fiebant carbones, latescendo; ii, ut et carbones bruno-rubri, lethales fuerunt, die secundo uel tertio, cum petechiis.*

Quibus, die quinto, bubones ad suppurationem non uergebant, eos adfligebant tensiones inguinum, instar tensae chordae; unde aegri, sic affecti, fere claudicabant: et bubones profunde tumentes; atque eodem, uel die sequenti, deturpabant petechiae, liuidae, atrae, lethales. Paucissimis bubones resolutebantur. Postquam in his morbus per nouem dies decurrerat, ardores sentiebant per totum corpus, praecipue ad lumbos uel brachia, tumque uel pes uel brachium moueri non poterat. Tunc, post decursum aliquot horarum, efferebantur pustulae, cum apice albido; quae si serpendo degenerabant in carbunculum, bonum. Sin minus; moriebantur, die nono, uel tertio et decimo.

Consecrarium 26. Nisi seminium pestilens, receptum in humores corporis humani, per huius naturam amandetur, et cum prauis suis effectis omnibus colligatur ad loca descripta in *Consecr. 24*, ibique sistatur; illud cum cohorte sua dispersum per *minimas*, *subtiles*, *tomentosas*, *tenues*, *cutaneas arteriolas*, quae tanta copia papillis cutis datae sunt, illas obstruendo, dilatando, uel perrumpendo, lethales ubique producit *petechias*, quod pars papillarum neruea inde non adfici non possit. Inde toties affecti cerebri signa; Deliria; Mania; Conuulsio. Ex *sexcentis peste laborantibus*, *uix unus emergit*, *cui talia in cute exanthemata*. I. de D I E M E R - B R O E C K l. c. Lib. I. Cap. XIV. Nota 7.

Consecrarium 27. Dum ex his ipsis arteriolis uasa perspirantia exeunt; non uana spes est, per *perspirationem* uel *sudorem* expelli posse seminium pestilens: uti omni tempore fuit creditum. Enimuero hoc efficere uelle per usum repetitum stimulantium ac ualidissimorum sudoriferorum, hoc saepe est efficere lethales petechias, quas tunc, *praejudicio conformiter*, tribuerunt malo, medela maiori, dum haud dubie id, quod tunicae cellulosae inhaerens, fecisset carbunculos, aut bubonas, nunc, ui sudoriferi, adactum in tenerrimas cutis arteriolas, lethales produxit petechias. Nam resoluti humores, in aliena loca pulsi, acerrimique, comprimunt

primunt et adurunt tenerrima uascula, pulpamque medullosum papillarum cutanearum.

Consectarium 28. I. DE DIEMER BROECK l.c. L. IV. Hist. XXXII. scribit, *se reperiisse in pestiferorum cadaveribus, quod exanthemata haec orientur a periostio uel tendone alicuius magni musculi, donec in cute terminentur, figura pyramidis;* nec non, *IACOBVM BONTIVM or- tum illorum ab ipsis ossibus deriuasse.* Hi fuere trunci tumefacti neruorum, in papillas cutis fi- nientium, quae, morbo et frigore, pyramidalem figuram nanciscuntur. *IACOBVS BENI- GNVS WINSLOW Exposition Anatomique de la structure du Corps Humain. Des Tegu- mens. §. 10.*

Consectarium 29. Maculae liuidae pulmo- num, ab immisso in ipsorum fabricam cellulo- sum seminio pestis, secundum *Obseru. 6.*, sunt petechiae pulmonales, effectae per idem semi- nium.

Consectarium 30. Conuulsiones ac petechiae, die morbi quinto uel sexto lethales, post emeticum, die morbi tertio deglutitum (*Obseru. II.*), partem debentur copiae miasmatis hausti, ac, integra sua ui, humoribus immisti (*Consect. 17.*), et adacti in minimas arteriolas cutis (*Consect. 26.*); partem emetico, inflammatum ventriculum (*Consect. 13.*) in gangrenosum ocyus mutant. Hic videtur esse casus, ubi carbunculi fiunt in uentriculi tunicis (*l.c.*).

Consectarium 31. Bubones profunde tumentes sunt glandulae inguinales imi ordinis, inter fasciae latae membranam et musculos siti, infarctae sero sanguinis coagulato, uel uiscido, una cum incola, seminio pestilentiae (*Consect. 8.*). Adeoque ille conatus in excernendum non sufficit. Sed bubones saluberrime iudicantes (*Obseru. 14.*) sunt glandulae inguinales omnium ordinum, similiter adfectae.

Consectarium 32. Seminium pestilens, *bubones* efficiens, nil uidetur mali patrare in systemate sanguineo, sed in seroso coagulare proprium illi humorem, et ab eo irretiri uicissim. Inde uirium defectus, quasi ab aucto corporis ponde-
re (*Obs. 6. (d) Adpend.*) Quod *carbunculos* efficit, uidetur fisti ad subcutanea uasa (*Consect. 25.*). *Petechia* flunt, dum subtilissimum uenenum transfit in minimas cutis arteriolas, cum solutis sanguinis particulis (*Consect. 26.*).

Consectarium 33. Glandulae serosae conglobatae, molles, in tunica cellulosa usquequaque cedente sitae; colli, axillarum, sed in primis inguinum, sunt locus aptissimus, summeque innoxius, seminio pestilentii recipiendo, denique excludendo, ita quidem, ut, ubi natura non sufficit illi, in omnes inguinales pellendo, semper tamen obstruat infimas, usque nitendo in altius fitas. Namque tensiones inguinum et chorda tensa notant, uaginam tendineam femoris inflammari a sero sanguinis uiscidiori, atque ipso seminio.

Con-

Consecrarium 34. Seminium pestilens in genesi bubonis inguinalis perfecti, quo tempore pestis furit, ab intimis corporis extrorsum pellitur (*Consecr. 9.*); primum infarciendo glandulas descriptas infimas; (2) medias, inter duplicataram fasciae latae: (3) externas, quae inter pinguedinem & primam eiusdem fasciae lamellam collocantur: uel omnes infarciendo, eodem quasi tempore, adtamen semper, seruato illo ordine. Quo tempore Pestis inualida, bubo augeatur, modo contrario, ab exterioribus introrsum (*Consecr. 22.*).

Consecrarium 35. Simul perspicitur, quantum praesidium sit positum in magnitudine ipsius naturae, pro felici persanatione pestis.

Consecrarium 36. Bubones sponte resoluti non possunt denotare, nisi debilitatem ueneni, copiamque fluidioris lymphae; quae illud diluendo plane eneruet.

Consecrarium 37. Compactiores glandulae conglomeratae, Parotides ac Maxillares, feminio capto extricando longe ineptiores sunt, et locus numquam carens discrimine. Interim, in hoc falsus est FRANCISCVS DE LE BOE SYLVIVS, quod illas non admiserit bubonum pestilentium sedem. *Prax. Med. Adpend. Tract. II. §. 461.*

Consecrarium 38. Miasma pestilens, humoribus corporis humani uiui receptum, per huius naturam ita non mutatur, quin aliquas, defi-

nito semper modo, nocendi dotes retineat, donec alicubi congregatur totum. Hoc qui negat, dicat; cur in infestatione pestis, in canibus, operabilis uesicariae peste demortuorum, per experimenta D E I D I E R : ut et ab exhalante spiritu siluestri de bubonibus et carbunculis apertis (*Obseru. 7.*), formentur praecise bubones atque carbunculi? Immutabilis haec natura per corpus humanum, inest et ceteris contagiosis miasmatiſ.

Consectarium 39. Ea de cauſſa, in Peste, nulla fit coctio morbidi: ſola euacuatio critica, ſenſibilis, uel infenſibilis. Vti in omnibus contagiosis ac malignis morbis.

Consectarium 40. Innotuerunt plura contagioſa miasmata omnia, definito quodam modo, damnosa. Et dantur malignitatis gradus in acutis, uti uel in ipeſis pestibus (*Conſect. 21.*). Adeoque eſt oppido falſa ſententia *Pathologi*; introcepto forte ſtimulo, ab eodem, in corpo re animali, ſaltim patrari effecta quaedam determinata, ſtimulo interim ſic mutato poſito, ut ſtimulus eſſe definat; quum e. g. in pefe bubonacea atque carbunculosa, uariolis, atque lue Celta, ſingulare ſingulis ſeminium, per determinata quaedam ab ipſo in animali effecta, per huius naturam, omnino perſtare tenax carac̄teris gentilitii ſit clariffimum: inque aliis febribus, uere malignis, nil repugnet, inesse ipeſis ſeminium proprium, magis uel minus ſtimulans, hos uel illos humo-

humores, plus, minus, uel non adficiens; per haec, non alia, loca excernendum; uti e. g. pestis bubonaceae atque luis uenereae miasinata Systemati seroso infensa sunt; et ambo per inguinales glandulas, si non integre, saltim ex parte, se expelli patiuntur: atque illud praeterea bili se sociat (*Consect. 18. 19.*), sed sanguinum forte renuit, uel non adficit (*Consect. 10.*), saltim per eius fontes eiici non confueuit (*Consect. 46.*).

O B S E R V A T I O 17. *Terror interfecit plures, ineuitabilis mortis certissimos.* *Quidam, post leuem dolorem capitis, ueste emortuali, die tertio, sponte sumta, eodem, placidissime sunt extinti, absque ullo signo externo.* Hi mente recte ualuerunt usque ad ultimum. Aliis horum uel nigricantes uariolae (epinuctides, uel nigrae phlyctaenae **H I P P O C R A T I S**) circa scrobiculum cordis; uel profundiores tumores inguinum.

Consectorium 41. Quicumque his genuinis miasmatis pestilentis filiis, solum terrorem genitorem constituant, hi aeque falluntur, ac illi, qui solum terrorem pestis caussam allegant. Legant *Consectoria 38. et 40.* Observations sequentes ostendunt, quaenam corpora pesti capiundae magis uel minus apta fuerint.

O B S E R V A T I O 18. *Et senes multos pestis peremit, sed sine bubonum aut carbuncolorum apparitionibus.* Vide *Consect. 35.* *Ast infantes,*

octo annis iuniores, uix tetigit. Omnia maxime sunt passae mulieres, atque uiris maturae uirgines.

OBSERVATIO 19. *Vino cremato ad ebrietatem cotidie repletis hic morbus neque percit. Illis dies morbi tertius fuit supremus, cum motibus conuulsuis. In peste Nouiomagensi, similia notauit I. DE DIEMERBROECK l.c. L. II. C. VI. annot. XV.*

OBSERVATIO 20. *Quae mulieres per tres menses utrum gesserunt, et abortus, et mortis, fuerunt securae, licet peste corriperentur. Verum, a quinto usque ad septimum mensem grauidis omnia contra adciderunt. Et abortum sunt passae; et mortuae ipsae.*

OBSERVATIO 21. *Rectissime ualuerunt in Peste, quibus antiqua ulcera fuerunt. Hunc praeclarum in Peste usum ulcerum ac fonticulorum, ab omnibus Scriptoribus obseruatum reperi.*

OBSERVATIO 22. *Ne unicum phthisicum lues pestis inuasit.*

Confectarium 42. Vix est dubium, utilitatem phthisicis adulisse pulmonum ulcera; uti habet Obseruatio 21.

OBSERVATIO 23. *Si qui dysenterici peste corripiebantur; hi moriebantur omnes cum petechiis in agone. Similis obseruatio, exclusis saltim petechiis, habetur apud I. de DIEMERBROECK l. c. Lib. I. Cap. XV.*

Con-

Consectarium 43. Annon seminium pestilens, alcalinum (*Conseqt.* 12.), se coniunxit cum alio stimulo, dysenterico, pariter putri?

O B S E R V A T I O 24. *Febre quartana decumbentes neque immunes persistenterunt a peste. His orti bubones inchoati, quales explicuit Consectarium 31. Sed euauerunt, resurgente paroxysmo, nec redierunt. Ipsa autem febris, inter haec, decursum proprium continuauit, per omne depopulantis pestis tempus, donec, hac cessante, et ipsa profligaretur per corticem Peruuiatum.* Hisce addimus singulares obseruationes **P E T I T**, Patris; quod quartana febris quandoque sit symptoma luis uenereae, uel, quod hac luę inquinati, illi febri, inter intermittentes febres omnes, omnium maxume sint obnoxii. Hisce perspectis, aptus fuit, in iis, in quibus luis phaenomena ante plures annos comparuerant, per saliuationem mercurialemi sanare febrem quartanam, quibusuis resistentem febrifugis. *Memoir. de l' Acad. Royale de Chirurgie Tome I. p. 347. etc.* Adtamen his aliquantum contraria videtur **GERARDS van SVVIETEN** Obseruatio, qua dicitur, febrem quartanam typum suum seruasse, per saliuationis mercurialis decursum; haud dubie propter luem instituae. *Comment. in HERMANNI BOERHAAVE Aphor. de cognoscendis et curandis morbis Tom. I. p. 10.*

Con-

Consectarium 44. Statice explorando sanguinem, de corpore quartanarii missum, patet, cohaesionem inter partes crassamenti esse maiorem, quam fuit in sanitate, sed longe minus rubram, et minus uiscidam, quam in intermittentibus febribus aliis est, atque continuis. **H E L I D A E V S**, Medicus Bononiensis, *in cadauere a febre quartana defundi, reperit frusta magna, alba, longa, pituitosa, in corde, uenis, et quasi omnibus membris.* Apud **I O A N N E M S C H E N C K I V M** *Obseru. Medicar. Rarior. L. VI.*

Consectarium 45. An paroxysmus febris quartanae, a peste immensum diuersae, tollit, resoluit, bubonem pestilentem, huiusque matteriem, et caussam, seminium pestilens, cum sudore paroxystico, e corpore humano eiicit?

O B S E R V A T I O 25. *Ante, quam pestis ingrueret, quatuor milites, propter luem uenerream, saliuationi tradebantur. Aduenit pestis. Duo illorum, per duas hebdomadas perfecte saliuantes, tertia peste correpti, sunt mortui, die tertio noui morbi: alter cum bubonibus inguinum: alter cum uariolis, paruis, elatis. Reliqui duo saliuantes intacti perstiterunt. His nimis debilitatis saliuatio fuit inhibita, per ea, quae sudorem exprimunt.*

Consectarium 46. Hydrargyrum ea copia datum, ut saliuationem cieat, sanguinem in putridam lympham soluit, et per saliuae fontes eiicit. Itaque in homine perfecte saliuante est magna-

magna dispositio ad seminium pestis capiendum
(*Consect. 12.*)

Consecrarium 47. Miasma pestis non est cum saliuia exterminabile. Adeoque et glandulae saliuales non sunt locus conueniens euacuationi criticae materiae pestilentis. Confer cum *Consecratio 10.*

O B S E R V A T I O 26. De iis, quae corpora humana contra Pestem munire dicuntur, notata sunt sequentia:

Adpensis cum hydrargo factis amuletis uix ulla uirtus Medica. Ast ualde utilia laudarunt parata ex gummatis foetidis, admixta camphora. Laudauit similia I. de D I E M E R B R O E C K l. c. Lib. II. Cap. XI.

Ab axungia rotarum, quod robob corticis uel radicis betulae, nausea et uomitus. In domo, ubi ea copiosissime uendebatur, extincti sunt 24. homines, id est, qui eam inhabitant omnes.

Fumigationem tabaci salutarem praedicarunt: ut et masticationem radicum alexipharmacarum. I. de D I E M E R B R O E C K illam fumigationem in se aliisque fructiferam deprehendit; atque, hauriendo fistulas quinque uel sex, omnia, licet certissima, infectionis signa, abegit. *L. II. Cap. X. Annot. IV. et Lib. IV. Hist. XVII.* E contrario; *A V G V S T. Q V I R I N V S R I V I N V S in peste Lipsiensi, obseruauit, aliquot ad-*
mira-

miratores tabaci fere inter fumandum infectos ac sublatos fuisse. *De Peste, Cap. IV. §. 25.*

Quid uenae sectio, morbum praeueniendi ergo, instituta, re uera effecerit, manet in ancipiti. Aliis illam laudantibus, aliis damnantibus.

Ast separatio infectorum a sanis, ubique optimus salutis custos (Obs. 4.).

OBSERVATIO 27. Medicamentorum alexipharmacorum facultas, pestem tollens, dubia, ut semper.

Alii uenae sectionem pro cura Pestis, numquam non noxiā clamarunt. Alii eam laudarunt uel repetitam, si maculae rubrae adfuerint: uel et, si bubones aut carbunculi nondum adparuerint.

Qui pestiferi purgabantur, iis mox intestinorum laeuitas. Hanc sanarunt clysteres emollientes, cum terebinthina et uitellis ouorum.

OBSERVATIO 28. Haec pro cura morbi.

Principio eius, nauseantibus uel uomentibus nihil aptius exhibitum radice ypecacuanhae, uel uitriolo albo (Obseru. II.) Ast tartarus emeticus uehementium spasmorum auctor fuit. Si inde uomitus nondum cessaret, sistebatur, adplicato emplastro de theriaca, atque dosi theriacae interne data.

Adolescentem morbum dicunt mitigasse per roob sambuci cum lapidibus cancrorum. A. Q. R.

VINVS

VINVS *l.c. C.V. §.19.* scribit, fidem paene superare, quae de oculis cancerorum obseruauit. Porrexit eos cum aceto rutaceo homini infecto, iam plures dolenti bubonas, inunctos oleo scorpionum. Et ecce, post largam sudoris effusio- nem perfecte restitutus est. *Per mixturam simplicem camphoratam; liquorem cornu cerui uolatilis; theriacam cum acetato; acetum Bezoardicum; nitrum cum camphore granis 4. remixtum.* Aliis et terrea placuerunt. Potus diluentes, calidi, aciduli valde profuerunt. *Victus fuit acutorum. Vel et iura carnium cum acetosa; ubi bubones iam prodierant. Post talia, uel similia, facta excretio critica per bubonas, uel carbunculos.*

OBSERVATIO 29. *Qui Chirurgi bubonibus resoluendis operam nauarunt, male consuluerunt rebus aegrorum (Obseru. 16:).*

Emplastrum uescicantia nascentibus bubonibus applicata saluberrime. Hoc pacto, emollitio ipsorum per cataplasma facilis reddit. Idem in peste Delphensi feliciter factum semel memorat
PETRVS FORESTVS.

In peste Nouiomagensi uescicatoria multum profuisse, millies est obseruatum. Adplicabantur in inferiore parte tumoris, ut ipsam duritiem adtingerent. I. de DIEMERBROECK *l.c. Lib. III. C.XII. et annotat. 5.* Contra, F. de le BOE SYLVIVS ea integre prohibet, quia augentur

gentur dolores, cum ardore summo et specie erysipelatis. l.c. §. 683. 684.

In quibusdam locis cum fructu usu sunt emplastro magnetico arsenicali. Alii reliquis omnibus praetulerunt uulgare illud ex farina tritici, melle et croco; ut et assatis cepis.

Bubo maior, durus, per medium fuit discissus, unguento digestiuo cum mercurio praecipitato in suppurationem postea cogendus.

Tumor axillaris, emolliri renuens, lamellatim separatus est, cystici in morem.

Semper profuit, scarifasse uiua, carbunculis uicina. Alii ipsis circumcirca limites posuerunt per lapidem infernalem. Tum facilis suppuratione, ope unguenti digestiui, atque cataplasmatis emollientis.


In peste Nouiomagenfi, millies obseruatum est, altas et dolorificas scarificationes nocuisse. I. de DIEMERBROECK l.c. L.III. C.XIII. nota 7.

Plura de hac *Pestilentia* mihi non innotuerunt, nisi hoc unicum, quod, quae est Diuina erga nos mortales Bonitas, ea iam diu plane exspirauerit. Ego uero diu mecum uolui animo, annon ex Obseruationibus, quas candidissime recensui, et ex iis, quae inde concludenda uisa sunt, aliquid certioris, pro felici persanatione morbi, tam atrocis, tradi posset? Etenim in quem

quem usum tandem omnes illae obseruationes de *Peste*, ab aetate **HIPPOCRATIS**, usque ad haec tempora, quoad minima curatissimae? **ISBRANDVS de DIEMERBROECK**, elegans, si quis, de *Peste* scriptor, quidnam nouae utilitatis adtulit pestiferis? Evidem facile praeuideo, Practicos Medicos plurimos, qui non, nisi ab experientiis, sapere cupiunt, parum aestimaturos talem meam operam. Ego uero ingenue confiteor, me ignorare uerum *Theoriae Medicæ* usum, nisi apta fuerit, ad perducendum, ut uocant, *a priori*, in ea, quae per experientiam haberi vix possunt. Et re uera falluntur illi homines semper, si facultas quaesiti medicaminis per *qualitates mechanicas* explicabilis; adeoque maxime omnium falluntur, si medicamentum illud fuerit ipsum **HYDRARGYRVM**. Fac, aliquem perfecte callere huius ingenium, atque indeolem luis uenereae; prout utrumque explicuit **IOANNES ASTRVIC**; quis neget, in se possibile esse, ut ille certam huius aegritudinis curationem proponat per hoc ipsum corpus, licet illam numquam prius ab experientia commendasset **IACOBVS BERENGARIVS**? Atque sumnum honorem simili ratiocinio Medico adstruxit **ROBERTVS JAMES**. Hic *Clarus Vir*, expensa penitus *Rabiei Caninae* natura, determinauit *a priori*, *hydrargyrum* esse illud corpus, aptum praeseruare a rabie corpora humana atque brutorum, & sanare rabie infecta.

Repetita experientia comprobauit, et ueritatem, et soliditatem, ratiocinii. Mihi itaque indu-
bium est, & illum Medicum ideo non desipere, qui in naturam *Pestis*, auxilio rite factarum Ob-
seruationum, aliquanto sollicitius inquisiuerit, ac
perspecta facultate alicuius medicamenti, aliquid
certioris, ad domandum morbum, per ratioci-
nia elicere, adlaborauerit. Qui cum ratione,
quae experientiae numquam contraria esse pot-
est, aliquid contra morbos desperatos molitur
Medicus, is nihil delinquit. Sed, ab omni ae-
uo, et morborum similitudo filum dedit felici
curationi morborum ignotorum. Hanc sane
uiam ingressus est immortalis laudis Vir, I. B E-
R E N G A R I V S, dum detexit hydrargyri potesta-
tem, contra uirus spurcae ueneris. Neque aliam
elegit, magni ingenii Vir, P E T I T, Pater, dum
docuit, explorandi ueziculae fellis statum, disse-
candi folliculum, et eximendi in ea contentos
calculos modum; aequem certum, ac habetur
is, qui in uezica urinae, similes ob cauſtas, in-
ſtituitur; licet nullum hactenus prostet exem-
plum, operationis ita quidem peractae. Et
enim in quo differt collectio fellis a collec-
tione urinae? Vesica fellis a uezica urinae?
Vtriusque collectio humoris? Generatio
calculatorum utrobique? Expulsio ipsorum per
ductum communem bilis, uel urethram? Re-
tentio ipsorum; uel et bilis atque urinae utro-
bique? Quin et utriusque sectio uezicale? De-
nique et per cogitata mea, si ipse errauero, ra-
rus.

rus error imminet, dum, pro *Benignitate Diuina*, rarus ipse morbus, inque *Peste* haec tenus fere sponte emersit, qui emersit. Omnis cura haec tenus circumscripta fuit solo usu certorum calidorum sudoriferorum, atque sic dictorum alexipharmacorum, ad liberandum cor a ueno-
 no. Adtamen Optunni quique simul confessi sunt, ea *aliquando iuuare*, *aliquando aegros in sudorem non perducere*; *quandoque illos inde sudare, sed sine leuamine.* Hac medela adhibita, in una urbe *Nouiomago*, spatio sexdecim mensium, perierunt decem millia hominum; ut facile sit coniectare, quot per illam seruati sint. Satis patet ex antecedentibus Obseruationibus 26 - 29; quanta ubique fit discordia in electio-
 ne et applicatione auxiliorum Chirurgicorum. Adeoque ignoro, an temeritatis, an stupiditatis, an ignorantiae, adcusandi sint Medici illi, qui curare uolunt pestem per ea, quae apertissime uident, uel nocere, uel non prodesse. Dira pestis hodie *Messinam* in *Siciliis* uastauit. Et si quis supererit, fatali illi morbo describendo aptus, certe nouum inutilis uel noxii consueto-
 rum sudoriferorum usus testimonium perhibebit. Hac de caufsa, omni praeiudicio deposito aestimationis, quam huic scriptioni statuere possent illi homines, aliam uiam sum ingressus. Boni Viri, atque intelligentes rerum, haec non
 reiicient protinus, neque reiicient, nisi
 facto prius examine.



PATHOLOGIA ET THERAPIA PESTIS.

PROPOSITIO I.



Bubo pestilens a bubone uenereo differt solo miasmate: ibi pestilentiae, hic luis uenereae ueneno tincto; ibi magis (*Obseru. 7.*), hic minus actuoso.
* Vtrique in his conuenit: quod quisque sit tumor durus glandularum serosarum, adeoque certo certius nascatur a fero sanguinis, in cellulis ipsarum uiscidiori, immo plane coagulato, per miasma proprium: qui tumor se emolliri, tandemque aperiri, patitur, quo miasma utrumque, et praua utriusque effecta, uel integre, uel ex parte, semper tamen cum salute corporis affecti, eliminari possint. Vterque bubo habet originem duplicem: nempe ab interioribus extrorsum, ubi tota humorum massa utrobique infecta fuerit: et ab exterioribus intror-

introrsum, ubi, in leuiori malo, morbus externus initium fecit (*Obseru. 13.*)

E X P E R I E N T I A 1. NICOLAVS MASSA scribit in epistola ad IOANNEM BAPTISTAM PANTINVM, se plura cadavera hominum secuisse, qui, uiuentes, morbo Gallico laborabant, in quibus uenae, per uniuersum corpus, erant plenae materie pituitosa, alba. Quae pituita in quantitate longe superabat sanguinem, et loca dolorosa etiam madebant eadem materia pituitosa, immo in aliquibus omnes lacerti madebant ista iam dicta materia. Iurares, HELIDAEVM haec loquutum esse de cadauere quartanarii. Lege *Consecatarium 44.*

Corollarium 1. Adeoque obtinet aliqua luis uenereae species, in qua serum sanguinis est manifeste inspissatum, seu coagulatum.

E X P E R I E N T I A 2. *Obseruatur et alia illius luis species, cui humorum putredo coniuncta est.* In hac animaduertuntur dolores acutissimi ossium, cito traiicientes noctu; ulceræ cutaneæ, lenta; efflorescentiae frontis; erosiones solidorum etc.

Corollarium 2. Quo gradu luis infectus poterit facillime inquinari peste, si haec forte grasseatur illo tempore. Obtinet enim tunc eadem conditio, quae in *Consecario 46.*

PROPOSITIO II.

Lues uenerea cuiuscumque speciei, differt a peste, quaecumque fuerit, seminio proprio. Vtrique lui conuenit in his; quod utrumque seminium diu latere possit in corpore humano. Vti hoc de uenereo nemo ignorat: ita de pestilenti testatur I. de DIEMERBROECK l. c. Lib. IV. Obs. CIII., illud per tres menses in corpore humano delituisse. Secundo; Via infectionis utrobique eadem. In lue uenerea, uenenum ex systemate seroso in sanguineum transit ordinarie. Quandoque autem ex sanguineo in serosum, dum per inhalationem se insinuauit. H. BOERHAVE *de cognoscendis et curandis morbis, aphorismo 141.* Vtramque uiam quoque ingreditur seminium pestilens (*Consect. 6. 13. et 22.*).

PROPOSITIO III.

Species luis uenereae primo descripta, et frequentissima est, et cum peste bubonacea in eo conuenit, quod singulare cuius seminium transeat in eamdem tunicam cellulosam, in cuius uasis serum sanguinis utrobique inuiscat. Adeoque utrumque iisdem locis irretitur, atque comprehenditur: uasis et glandulis serosis. Inde fit, quod uterque morbus cum febre quartana coniungi possit (*Obs. 24.*).

PROPO-

PROPOSITIO IV.

Species luis uenereae altera cum peste carbunculosa in eo coincidit, quod utrumque seminum in tunicam cellulosam delatum, inde transeat in loca cutanea, quae enecantur in peste (*Consecr. 24.*), et in lue uenerea fiunt ulcera len-ta, totidem futuri carbunculi, si saltim seminium ipsius fuisset uiuacius.

PROPOSITIO V.

Annon Pestis est uelox Syphilis? Et annon Syphilis est tarda Pestis? Nil repugnat, quum Pestes ueri nominis, gradu uelocitatis, inter se differant (*Consecr. 21.*): et utriusque morbi se-des sit unica, tunica cellulosa; vasa serosa, glandulae serofae; Phaenomena utrobique eadem: coagulatio seri sanguinis; atque sphacelus, uel lenta gangraena (*Propos. III. IV.*).

Corollarium 3. Hinc forte deduci potest, uel debet, ueritas Aphorismi, adtamen in se indeter-minati, saltim ad bubonaceam pestem adstrin-gendi, quem frequenter in ore habuit I ECKEL, pestem qui Pragae bis superauit: *Neminem peste adfici, qui morbo uenereo laborauit.* IOANNES IACOBVS GEELHAVSEN *de febribus malignis contagiosis.* Et uidetur haec sententia conuenire cum illa narratione EMANVELIS TIMONE, quod *Byzantii, instar miraculi, habeatur, si quis lue pestis secundum corripiatur.*

Philosophic. Transact. N. 364. Ita et uerae uariolae rarissime redeunt iis, qui eas semel sunt passi. Ast pestis Nouiomagensis corripuit et aliquos eodem anno bis, et eos, qui ante aliquot annos eadem laborauerant. I. de DIEMER-BROECK *Lib. IV. Obs. XXXVII.* Idem et in *Odzacouienſi Peste* est deprehensum. Certe a lue uenerea sanatus, eadem iterato corripitur.

Corollarium 4. Miasma pestilens non uidetur adficere posse massam humorum hominis, lue uenerea laborantis, cum coagulatione seri sanguinis. Namque miasma pestilens in sytemate seroso nihil efficiet, in quo uenereum iam effecit suum. Ita intelligo P. FORESTVM cum ceteris, qui syphiliticos a Peste liberos scripserunt.

Corollarium 5. Ex hisce corollariis 2 et 4. clara est sententia E. TIMONE *l. c. quod Byzantii homines, lue uenerea laborantes, indifferentes sint ad luem Pestis.*

PROPOSITIO VI.

Pestis carbunculosa est peste bubonacea peior. Quae sententia omnibus probata est Auctoriibus. Plane, uti lues uenerea cum putredine humorum coniuncta (*Prop. IV.*), est peior ea eius specie, ubi serum sanguinis est coagulatum (*Prop. III.*) Et natura carbonum est alia, quam

quam bubonum; licet ambo iidem corpori, eodem tempore, eueniant, ab eodem producti miasmate (*Obs. 13. et Obs. 8. Adpend. Consect. 24. 25. 31. et 33.*)

PROPOSITIO VII.

Pestis carbunculosa differt a uariolis pessimis, miasmate singulari. Vtriusque morbi conuentia in his posita: (a) Carbo saepe nascitur ex plurimis uariolis, confluentibus in unum: (b) Variolae sunt id in tota corporis superficie, quod in parte est carbo: (c) Eadem Phaenomena sunt in carbone, quae in pessimis uariolis, tempore suppurationis illarum, obtinent (*Obseru. 15. et Obs. 8. Adpend. et Consect. 23. 25.*)

Scholion 1. An inde fit credibile, ueteres morborum Obseruatores, genesi anthracum adtentos, uariolas adpellitasse paruos carbones, siue carbunculos? Ego facillime crediderim, hoc ex Antiquitatum monumentis doctissime eruenti ac uindicanti Elegantissimo meo IOANNI GOTHOFREDO HAHN.

PROPOSITIO VIII.

Neque magnum discrimen perspicio inter Luem Venereum, atque Variolas. Sedes utrobius una: Tunica cellulosa; atque loca cutanea (*Consect. 25.*). Effectus iidem: abscessus externi, et interni: illic lenti, hic celeres. Hinc

Galli, sua lingua, utrumque morbum uocant, *la grande* et *la petite uérole*; uno termino generico.

Scholion 2. Hanc ob caussam, Veteres Observatores putantur solius Pestilentiae descriptiones dedisse, et, ut variolas, ita et Luem Venereum memorasse nullibi. Omnes enim hi morbi similes, inter se confunduntur, sola miasmatum intensitate differentes. Qui aliter sentiunt, determinent; quo tempore, et, cur lues venerea cooperit esse endemia in America?

PROPOSITIO IX.

Quo Pestis, Variolae et Lues Venerea, morbi individuales, atrociiores sunt, eo magis inter se communicant, atque phaenomena Pestis exhibent: Bubones: Carbunculos, peiores; Petechias, pessimas. In pessimis uariolis, carbones; petechiae; bubones. G. van SVVIENTEN l. c. p. 728. In lue uenerea; bubones; exanthemata, quasi petechialia; erosiones sphacelosae.

PROPOSITIO X.

Pestis; Variolae et Lues Venerea uidentur eodem modo determinari. Adeoque esse similes morbos, qui, salua similitudine, gradu, id est, uelocitate decursus, differre possunt. Determinantur autem per miasmata, sola intensitate differentia; quantum adhuc perspicio.

PRO-

PROPOSITIO XI.

Quicumque nouit, seminium luis uenereae, systemati seroso inhaerens, immutare aut expellere; et effectum per ipsum sufferre, id est, coagulationem seri sanguinis: is omni indicationi satisfecit, pro felici curatione morbi totius.

E X P E R I E N T I A 3. *Lues uenerea certo curari potest, per determinatam quantitatatem mercurii dulcis, quae aegro, exiguis dosibus, deglutienda est ita, ut saliuatio non fiat.* Ipse IOANNES ASTRV C hanc ueritatem est confessus, quamquam acerrimus defensor saluationis, pro certa curatione illius morbi.

C o r o l l a r i u m 6. Adeoque hac methodo, misma uenereum immutatur uel expellitur; atque coagulatio seri sanguinis tollitur (*Prop. XI.*). Remaneat enim aliquid de alterutro; nec aderit sanatio perfecta, quam obtinemus, ui illius experientiae. Ast quo pacto utrumque fiat, ex natura luis, et qualitatibus mechanicis hydrargyri, ostendit idem ille I. ASTRV C *Cap. VIII. Lib. II. de morbis uenereis.*

C o r o l l a r i u m 7. Qui recte comparat experientias 1. et 3. cum obseruatione HELIDA ET (*Conseq̄t. 44.*) : is facilis putabit, LAZARI RIVERII arcanum in febribus intermittentibus, praesertim quartanis, maxumam partem constitisse mercurio dulci. *Journal des Scavans l'an*

l'an 1678. Et fidem adhibebit, idem medicamentum, in iisdem febris commendanti BERNARDO RAMAZZINI. Quin immo hic non est ueritus, hydrargyrum uocare antidoton febris. *De morbis artificum Cap. II.*

EXPERIENTIA 4. *In spina uentosa, mercurius est efficax, praecipue dum parti adfæctae extus illinitur ; quamuis et panaceaæ forma, intus sumtus, satis proficuus obseruatus sit. Unguentum Neapolitanum bis de die parumper oblinunt ; exhibito interdum aluum ciente leni pharmaco, ad auertendum ptyalismum. Id per duos uel tres menses continuandum. Mercurius hic, longo temporis spatio, medetur tarde, sed non per ptyalismum. IOANNES DANIEL SCHLICHTING. Philosoph. Transactions N. 466. art. X. Magnam utilitatem huius inunctionis aduersus spinam uentosam et cariem ossium aliquoties deprehendi Iuuenem, spinam enormem ad tarsum habentem, diu sine successu tractatum, ita ungi feci. Inde mox augebatur pus ; dein liuida, foetens, sanies exiit : tumor factus est minor, mollior. Aeger dolorem in osse minui, sibique quietem reddi adfirmavit. Caro facta est compactior. Pes, tamdiu immobilis, moueri coepit. Alii uiro fuit pessima spina in carpo. Quum, externis et internis medicamentis tamdiu nil profecisset : ab huius usu unguenti, uulnera aucta sunt : sanies liuida,*

da, atra, foetida effluxit : pars prius liuida rubuit : dein ingens copia puris exiit : tumor minutus est atque emollitus. Aegrotus, qui tamdiu non, nisi pronam manum tenuit, illam mox supinauit. Vulnera creuerunt numero ; particulae extremitatis inferioris cubiti uacillarunt. Et uerbo ; longe melius se habuit hic aeger. Vterque autem, non, nisi unguenti continuatam adplicationem flagitauit.

Corollarium 8. Hydrargyrum, extus uel intus adhibitum, ita, ut saliuatio non fiat, et spinae uenenum corrigit, uel tollit, per uias insensibiles.

Corollarium 9. Adeoque iterum patet, hydrargyrum, quod potest, non tantum efficere saliuando, hoc est, miasmata cum deprauatis humoribus per saliuae fontes eiiciendo, sed etiam, illa immutando uel expellendo per cutem, modo sensibili, uel insensibili. Hanc methodum, corrigendi contagiosa miasmata, per concisam ac repetitam dosim mercurii dulcis, saliuationem impediundo, primus forte docuit RAVELLY, Medicus Metensis. Hic enim in Tractatu de la Rage, A. 1696. Metis in 12mo impresso, p. 181. Nolim, inquit, quemquam haesitare, mercurium dulcem offerre contrarabiem caninam. Dari possunt cotidie homini iejuno, eius grana 12. uel 15., aut cinnabaris antimonii grana 10. uel 12., pulueris lapidum cancrorum uel ostracoderma-

dermatum grana 12., et salis uolatilis succini grana 5., cum syrupo uel conserua, forma boli. Ast suadeo, ut saliuatio impediatur. Didici hoc; nam elegantem libellum non inspexi, ex nota Clariss. de BRE'MOND ad pag. 80. Versionis Gallicae Transactionum Philosophicarum Societatis Londinensis Anni 1736.

E X P E R I E N T I A 5. Hoc ipso anno, in Nosocomio terrestri Petropolitano, notata: *Quo tempore nulla epidemia uariolosa Petropolim infestaret, mittitur in Nosocomium miles Hungarus. Hic, annos natus 35., uel aliquot plures, uariolas numquam prius passus, conquestus est de obtusiore ossium nocturno dolore, ferens praeterea consueta luis uenereae signa in facie. Vnde in illo Nosocomio hominem addixerunt uiolentiae hydrargyri. D. 31. Maii stil. uet. ingesserunt praeparato ante corpori mercurii dulcis grana X. cum totidem panis albi granis. Qua dosi semper perrexerunt. Nempe d. 1. et d. 2. Iunii. Vnde saliuia usque ad d. 13. eiusdem fluere coepit, primo ad pondo librae, dein ad unius et dimidiae, denique ad duarum librarum. D. 3. Iunii ingrui calor: adparent in facie rubrae maculae, cum anxietate praecordiorum; sed saliuiae fluentis copia inde aliquantum imminuta est. D. 4. Jun. repetita est mercurii dulcis dosis: unde rubrae maculae per uniuersum corpus auctae sunt. D. 6. Jun. oblata est ultima, et prioribus aequalis*

lis dosis. Post haec tempora solum decoctum lignorum bibere iussus est. Die nona Iunii, uisae sunt uesticulae in toto corpore, tunc demum pro Variolis agnitae. A die 12ma usque ad 16tam factae sunt purulentae, ueri abscessus, more, uariolis consueto, rupti fundentes pus. D. 17. et 18. Iunii pus effluxit ex uariolis purulentis brachiorum. Vidi dein hominem, saltim stigmatis bus uariolarum foedum, qui, prout confessus est ipse, sanus, atque a duplice morbo liberatus e Nosocomio exiuit.

Corollarium 10. An quid potest excogitari probabilius, quam quod putredo saliuationis excitauerit, et in actum deduxerit delitescens semi-nium uariolosum?

E X P E R I E N T I A 6. Ut et in mercurio dulci uariolarum antidoton quaeratur, incitat aliquis eius aliquando successus; auctore H. BOERHAAVE l. c. Aphor. 1392. Mercurialis, sine stimulis salinis praeparata, in uariolis, prospero saepissime successu exhibuit IOANNES HVXHAM. De aere et morbis epidemicis p. 96. Et in Germania, Medici multi, mercurium dulcem, in ipsa uariolarum curatione, saepe, et ex uoto exhibent: prout Acta Medicorum Berolinensium passim referunt. Eodem cum aloe lota remixto, fine praeservandi a uariolis, felicissime usus est IOANNES CAROLVS SPIESSIVS. In febre variolarum secundaria,

ria, multi purgationi blandae haud infeliciter mercurium dulcem, quasi uariolis specificum surrogant. PAVL. GOTTLIEB WERLHOF de variolis et anthracibus Cap. III. nota 108. *Idem, in eadem febre, faustissimo euentu, in propriis liberis, aliisque plurimis est expertus I.* HVXHAM l.c. p. 37.

EXPERIENTIA 7. *Dum nobili Anglo canes uenatici plures demorsi fierent rabidi, denique perirent, omnibus venatorum secretis, ipsaque aqua marina uanis deprehensis: consuluit ipsi ROBERTVS IAMES experimentum cum Turpetho minerali, quod unicum tanto malo tollendo sufficiens fore existimaret.* Ergo duobus canibus rabidis data sunt Turpethi grana 12; unde purgati sunt, et uomuerunt. Post horas 24., data cuiuis cani Turpethi grana XXIV, et post sequentes 24. horas, grana eius XLVIII. Vterque canis inde copiose saliuam eiecit, atque aquam auide bibt illico. Post 24 horas uni cani adhuc grana XXIV. Turpethi exhibita sunt: qui inde uehementer saliuauit: in terram se proiecit, ualde anxius; cum omnibus nimiae saliuationis adparitionibus. Adtamen sibi est redditus, et saluus factus. Canis alter, cui medicamentum non continuabatur, iterum corripiebatur et obiit. - - Hac methodo, dein conseruata est incredibilis canum copia, licet rabiosorum. Verum enim uero, praeseruandi caufsa, eo tempore, toti

toti canum cateruae data sunt grana Vij., et post horas 24., grana Xij., ea dosi per aliquod tempus, continuando: dein bis uel ter per mensem, luna noua et plena, medicamentum repetendo. Post haec Nobilis ille canem ultra non perdidit: aut seruauit rabiosum, descripta methodo.

In hominibus successus idem. Canis rabidus puellae 14. annorum suram adeo crudeliter dilacerauerat, ut sphacelo resistere necessum fuerit. Exhibitum est Turpethum minerale, unde uomuit. Idem repetitum est tribus diebus, ante instans nouilunium, ipsoque eius die: unde rursum uomitus. Eodem remedio usa est per omne tempus sequentis plenilunii: sicque perfectae sanitati est redditu.

Infans 10. annorum in crure demorsus a cane rabido habuit quatuor uulnera. Exhibitum est Turpethum minerale: uulnera unguento digestuo curata sunt. Nec quid sinistri dein euenit.

Adolescentem 18. annorum canis rabidus in brachio momordit. Post dies sex, canes plures, qui ibi loci fuerunt, ab eodem cane morosi facti sunt rabiosi. Homo ille factus est tristis, animo deiecto; tremores et insomnia per plures noctes patiens; interim non credens, rabidum fuisse canem, qui ipsum momorderat. Crusta sicca tegebatur uulnus. WILSON, Pharmacopaeus, qui audiuerat felicia experimenta R. JAMES, sic praescripsit: Rec. Turpethi mineralis gr. Xij,

Lapid. contrayeruae Drachm. j. Theriacae Andromachi q. s. Diuide in doses tres, quarum unam sumat quauis nocte succedente, decubitus, superbibendo cochlearia quatuor Iulapii, ex aq. stillat. rutae unc. Vj. Theriacae unc. ij. Syrup. paeon. compos. unc. j β . Tincturae Castorei drach. ij. Inde copiose sudauit; bis de die deiecit liquidissima; uulnus dedit pus laudabile et coctum: claudebatur: et crusta, unione facta, decidit, ut eschara solet. Omnes adparitiones: nec non tremor: euauerunt: et rediit somnus. Ultimo bibit aquas minerales: et dein rectissime se habuit. Philosoph. Transact. N. 441. His addantur ea, quae in Corollario 9. retuli.

Corollarium II. Venenum rabiei subtilissimum, inficiens corpus sanissimum, morsu, coitu, uel contactu corporis, cui illud, particula sui minima, adhaesit, receptum humoribus animalis uiui, uiscera omnia, arterias serosas ubique inflammndo, siccatur; praecipue stomachum atque uentriculum; nec non bilem uescariam inuertit. Tale seminum, cuius paruitatem ac actuitatem mente comprehendere ualeat nemo, iners reddit hydrargyrum, uel per saliuae aut sudoris meatus ex corpore expellit, corpore dein sanissimo superstite.

EXPERIENTIA 8. Illustrium Medicinae Practicorum. *Obseruantur febres, magis uel minus, sed uere malignae, in quibus, post aliquem*

quem ipsarum decursum, serum sanguinis atque saliuia sunt manifeste uiscida. Atque lethales sunt, illa uisciditate permanente. Vbi autem pituitae copiosae, nonnumquam per mensem continuata excretio per fontes saliuae, atque muci faucium orisque contingit: illa est saluberrima.

RO SINVS LENTILIVS atque C R A M E R V S felicissimos successus mercurii dulcis in eodem febrium malignarum statu pluries praedicarunt; quin et alter eidem medicamini uim alexipharmacam sapienter adstruxit. **R**. L E N T I L I V S in Parte I. Miscellaneorum Medico-Praetoricum. Mercurialia, sine stimulo salino præparata, in pleuriticis, peripneumonicis et rheumaticis, post debitam sanguinis missionem plurimum prodeesse nouit I. H V X H A M I. c.

Corollarium 12. Stimulus, qui febribus, magis uel minus malignis, ~~infecti~~ ¹⁷ sanguinis coagulat; ad loca saliuae defertur; per ea excerni paratus (*Consect. 40.*) uti pestis bubenaceae stimulus per glandulas axillarum et inguinum serosas (*Prop. III.*). Adeoque haecce coincidunt cum Corollario 6.

EXPERIENTIA 9. *Hydrargyrum crudum ad unciam unam quo quis die exhibitum, unicum est remedium, cancerorum internorum, abdominis uirulentiam ad aliquot dies minuere, uel palliare aptum.* **G**VILELMVS BVRTON

Philosoph. Transact. N. 464. hoc non uno exemplo probauit.

PROPOSITIO XII.

Quicumque nouit, miasma Pestis, iam uasis inerrans, bubones effecturum, immutare uel expellere: et effectum per ipsum sufferre, id est, coagulationem seru sanguinis: is omni indicationi satisfecit, pro felici curatione morbi pestilentis, in bubones desituri. Et qui nouit, pestilentem morbum sic dirigere, ut fiat bubonaceus, is, obseruatis prioribus, pluribus pestis speciebus persanandis sufficiet.

PROPOSITIO XIII.

Mercurius dulcis, concisa et repetita dosi datus, uidetur omni indicationi sufficere, pro felici persanatione Pestis, in bubonas finiturae. Quin et pluribus Pestis speciebus sanandis par erit idem, si fuerit in arte, morbum pestilentem ita dirigere, ut in bubonas finiat. Etenim mercurius dulcis, concisa et repetita dosi datus, immutat uel expellit miasma (a) *Variolosum* (*Exper. 6.*), atque ex singulari *Experientia*s. uidetur concludendum, mercurium dulcem simul felicissime expulisse stimulum uariolosum, una cum ipsis uariolis, quas extricauerunt putres humores sialuationis (*Corollar. 10.*): (b) *Malignarum febrium* (*Consect. 40. Exper. 8.* et *Corollar. 12.*): (c) *Rabiei Caninae*, sensibili uel infen-

insensibili modo (*Coroll. 9.*), et Turpeth minerale saliuando, uel per sudores (*Exper. 7.*): (d) *Spinae uentosae* (*Exper. 4.*) (e) *Luis Venereae* (*Corollar. 6.*) et (f) *Carcinomatosum lenit* (*Exper. 9.*). Adeoque mercurius dulcis, sic exhibitus, uel hydrargyrum; omne notum miasma contagiosum immutat uel expellit: et manifeste in morbis, qui cum Peste similitudinem habent, nec, nisi intensitate miasmatum, inter se differre uidetur, in Variolis, inquam, et Lue Venerea (*Prop. V. VII -- X.*). Dum iam omne, quod efficit Hydrargyrum, per eius qualitates mechanicas est explicabile (*Coroll. 6.*): Hydrargyrum seminia Variolarum ac Luis uenereae immutat uel expellit, ope principiorum mechanicorum, quae iphi insunt, aequa, ac ceterorum contagiorum morborum. Vnde iam nil obstat, quo minus putemus, Hydrargyrum, eorumdem ope principiorum, aptum esse, immutare uel expellere seminium pestilens, a seminiis, uarioloso et uenereo, uix diuersum. Enim uero, quod est secundum, coagulationem feri sanguinis per idem medicamentum solui posse, uix unus dubitat (*Coroll. 6. 7. 12.*). Et pluribus nos non indigere, pro felici persanatione Pestis bubonaceae; ut et cetera intelliguntur ex *Propositio-*
ne XII.

Scholion 3. Didici haud ita diu, AMBRO-
SIVM PAR EVM, forte primum, iam medita-
tum esse hanc Hydrargyri potestatem contra pe-

stilentes morbos. Namque in *Cap. XXIX. Lib. XXI.* Operum suorum, *mercuriales inunctiones* contra bubonias pestilentes plurimum commendat. Dolendum, quod momentosae rei ne unicam singularem obseruationem adduxerit! I. de D I E M E R B R O E C K l.c. *Lib. IV. Hist. XI.* refert, Chirurgum buboni pestilenti in proprio corpore unguentum mercuriale inunxit: unde equidem bubo plane disparuit. Hic effectus, quem nemo hodie cum illo scriptore humiditati ac frigiditati Hydrargyri adscripsit, clare docet uim fundentem ac seminum corrigentem Hydrargyri. In duobus, quos spinae ergo, unguento Neapolitano inungi feci, post aliquas inunctiones, fuit tumor mollior longe, ac compactior caro. Adtamen addit I. de D I E M E R B R O E C K , illi methodo medendi ualde infensus, anxietatem maxumam et uomitus enormes adcessisse, uires inde una nocte sic deiectas fuisse, ut ille homo inde mortuus sit. Quod nemo in dubium vocauerit, qui expertus est, quanta circumspectione sit utendum in inunctione mercuriali, et omnium maxume in morbo pestilenti.

- *Corollarium 13.* Quanto bono, mortalibus largitus est C R E A T O R H Y D R A R G Y R V M , omnibus contagiosis morbis sufficiens, unum, et uerum, medicamentum! Et adparet, *contagiosos morbos omnes, mechanica ratione, tolli posse.* Quod de unica Peste sapientia T H O M A E S-

DEN-

D E N H A M praesagiit. Ita ait de *Peste Londinensi*: *Mibi ueri simile est, peculiare Pestis remedium, propriumque ipsius perniciei alexiterium, adhuc in naturae sinu abditum delitescere, nec eamdem, nisi ratione quadam mechanica, tolli posse.*

Scholion 4. Sunt, fateor, plurima, quae contra hanc Propositionem fundamentalem XIII, multo iure, obiici possunt, et obiecta sunt multoties. Aiunt: (A) *Quis audeat, uomiturientibus, deiicientibus, atque anxiis pestiferis, exhibere mercurium dulcem, bonum in se, sed et saepe numero ualde nocuum, dum uel saniori corpori nunc uomitus, nunc tormina, nunc alui fluxus toties prouocat?* Respondeo; suppono praemitti lene uomitorium, ut in omnibus malignis, ita praecipue in Peste utilissimum, et summe necessarium. Diu meditatus illam facultatem alexipharmacam mercurii dulcis in Peste, commendaui olim Chirurgo usum illius, in casu simili, hunc fere in modum exhibendum, cum Roob Sambuci, et Stibio diaphoretico. Retulit diu post Chirurgus, pernitiem adtulisse ipsum medicamentum. Etenim imprudens aegris naufeantibus ac uomiturientibus (*Obseru. 10.*), uomitorio non praemisso (*Obseru. 28.*), obtulit electuarium, a quo, et uomitus, et praecordiorum anxietas, augebantur. *Quo euentu perterritus, obseruationum filum, circa hoc medicamentum, abrupit.* Idcirco illud experimentum

Theoriae expositae non est aduersum. (B) Annon grauis mercurius dulcis febrem acutissimam pestilentem augebit in exitium usque? Adtamen priores Medici alexipharmacu uulgaria, antipestentialia, theriacas, spiritus et sales uolatiles etc., calefacentissima omnia, bono animo, commendant. Nec intelligere uidentur, cur B. RAMAZZINI Hydrargyrum adpellitauerit febrium antidoton (*Corollar. 7.*)? Neque, cur CRAMERVS facultatem alexipharmacam in mercurio dulci statuerit (*Exper. 8.*)? Enarraui sapientum consilia, in cura uariolarum (*Exp. 6.*), rabiei caninae (*Exper. 7.*), ac febrium malignarum (*Exper. 8.*). (C) Praecipitantissime concludi arguent, a facultate mercurii dulcis in morbis tardissimis, quales sunt lues uenerea, ac spina uentosa: uel saltim aliquanto tardioribus, quales sunt febres malignae; ad facultatem eiusdem medicamenti, in morbo, celerrimo omnium, qualis est Pestis? Quantulum solatum sperare fas est a puluisculis, in morbo breuissimo? Oppono his curam Rabiei (*Corollar. 9.*); atque Variolarum, per idem medicamentum. Nego, Pestem manere morbum celerrimum; aio, ipsum sat tardum fieri; quoties, praemisso leni emetico, exhibetur mercurius dulcis, prout docebo. Denique; an datur in uniueritate rerum medicamentum, quod sub eodem cum Hydrargo uel mercurio dulci, uolumine, similiter mutare corpus animale?

Quo-

Quoties spinam patientes, unguento Neapolitano, auellanae magnitudine, ungebantur: toties fatebantur, se sentire ingentem pruritum atque puncturam, quasi acicularum, et manifestum motum ab externa superficie ad ossium meditullia. Pessima unius unctionis effecta ex D I F M E R B R O E C K O adlegau in *Scholio 3.* Circumspiciant, quaeso, curatius, quae eueniant a repetita dosi puluisculi mercurialis. Donec uero felicior *Experientia* rem omnem excusserit, respondeo generatim his omnibus, atque aliis dubiis: Dari in rerum natura corpus, quod, praeterquam, quod ipsum possidet qualitates uere alexipharmacas, triplici ueneno, Pestis, Variolarum, atque Luis (*Propos. X.*), oppositas, dum cum mercurio dulci commiscetur, (a) hunc nocituris qualitatibus, omnibus uel aliquibus, integre, uel ex parte, exuit: et (b) cauissam omnem, effectaque febris pestilentis uelocissime euertit. Atque hoc corpus dico esse C A M P H O R A M. Id conabor euincere, per sequentia.

E X P E R I E N T I A IO. *Res est hodie omni dubio exempta, quam, post L. R I V E R I V M, atque F R I D E R I C V M H O F F M A N N V M, complures Medici uariarum regionum innumeris fere obseruationibus comprobarunt, ipseque ego saepissime sum expertus, in febribus inflammatoriis, atque malignis, cum salute aegrorum, praescribi camphoram. In morbo graui epidemico, cum pete-*

chiis uarii coloris, et nigris, post lene uomitorium, non uno solum nomine laudanda Camphora, et somnum arcessens, et deliria compescens, aptissimum fuit remedium. I. HV X H A M loco citato pag. 109.

Contra Pestilentiam, omnes de illa Scriptores, uno ore celebrarunt Camphoram. F. HOFFMANNVS in elegantissima de usu camphorae interno, Dissertatione sic scripsit : *Delinquitur in eo, quod in Peste camphorae dosim maiorem reformident, et quod calidioribus elexiriis uel essentiis admisceant, neque conuenienti tempore eam adhibeant.* Idem in Medicinae Rationalis Systematicae Tomo IV. P. I. Sect. I. Cap. XII. eumdem camphorae usum extollit, simul praedicans electuarium camphoratum, quod in Vindobonensi Peste summam utilitatem adtulit.

EMANUEL TIMONE sic testatur loco citato : *Oleum naphthae, quod camphorae nostrae compar, ad drachmas ij., est Turcis magnatibus remedium summum in Peste.*

Dixi in Observazione 26., in Peste laudata fuisse amuleta, quibus admixta fuerat camphora.

EXPERIENTIA II. Dum in Epidemia Bernensi, Variolae confluentes, pessimae, cum maculis nigris, toties mortiferae essent: auxilium tandem inuenit in Camphora, Amicorum Optimus, Doctissimus ALBERTVS HALLER. Com-

Commerc. Litterar. Norici Annus 1736. Hebdom. X. n. 1.

E X P E R I E N T I A 12. *In gonorrhœa, præcipue uetere, Camphoram usque laudarunt H E N R I C V S S C R E T A, R. L E N T I L I V S atque F. H O F F M A N N V S.* Immo hic ultimus, in laudatissima Dissertatione, est Auctor, *in initio luis uenereae, præstare, exhiberi cāmphoram cum mercurio fixato propriae inuentionis: et retulisse Medicum fide dignissimum, contra luem saepius suffecisse camphoram solam, in axungia uiperarum solutam.*

C O R O L L A R I U M 14. Camphora habet uirtutem adtenuandi; soluendi pituitam uenereum; ut et lentorem febrilem, immo ipsum pestilentem. Adeoque Camphorae insunt qualitates physicae, uere alexipharmacæ, triplici ueneno, Pestis, Variolarum ac Luis Venereæ oppositæ. *I O A N N E S F R E I N D History of Physic. Camphora omnium adtenuantium forte est ualidissimum.*

E X P E R I E N T I A 13. Camphora, mista cantharidibus, harum irritationes auffert, asperitates ipsarum inuoluendo, et, subtilitate sua, aptas reddit, per minutissima corporis humani uasa se facilius penetrandi. Eadem, mista mercuriali- bus, horum stimulos minuit, ipsaque traducit in minutissimos ductus, ut operentur, coagulata fundendo, et sola ui impulsus. Namque non solum calomeli et mercurius dulcis ita possunt cohiberi
ab

ab operando in uiis capacioribus et glandulis oris; sed ipsum Turpeth minerale, quod, exigua, dosi, uomitum et deiectiones potenter efficit, Camphorae commixtum, transit in remotissimum circuitum motus, & sudorem efficacius exprimit, quam ulla Medicina specifice leuior. Nisi uero Camphora tempore illius usus, cantharidibus uel mercurialibus misceatur: illa, uolatilissima, haec natuuae suae libidini relinquet. IOANNES QVINCY Philos. Transact. N. 365.

Calomelano frequenter adiicio Camphorae pauxillum, quae ex particulis longe subtilissimis constans, angustissimos corporis canaliculos penetrando, pennasque quasi mercurio addendo, uires eius intendit maxime. Quin etiam eadem Camphora corrodentem Mercurialium praeparationum qualitatem delenit, earumque spicula obtundit. I. HVXHAM de morbo colico Damnoniorum.

Quum homini cuidam, omni die quarto, uesperi, grana X. mercurii dulcis aliquoties dedisset: ille inde, post adsumptum, aliquoties nauseauit, tandem tribus uicibus uomuit, et postridie aliquoties solutus est alio. Post haec iidem corpori eamdem quantitatem mercurii dulcis, admistis modo a me granis V. camphorae, ipse exhibui aliquoties, pari dierum interuallo. Nec nausea; nec uomitus; nec deiectionis; nec calor praeternaturalis ortus: et uerbo; in toto corpore pacatissima uisa sunt omnia.

Viro,

Viro, cui manifesta luis uenereae signa aderant, exhibita sunt mercurii dulcis grana ij. cum Camphorae gr. j β , quinquies de die, per dies in sequentes decem, atque intra tot dies, grana C. Ille aeger, post sumtum medicamentum, fere semper sensit in uentre tormenta, per horam adfligentia. Die nono quinquies aluum deposuit: et mox ingenti sudore perfusus est: ut et die decimo. Ceteroquin se semper rectissime habuit, nullum futurae saliuationis indicium expertus: licet in conclavi teneretur, in quo magna hominum copia uenereum saliuam effuderat. Phaenomena luis cessarunt simul.

EDWARDVS BARRY et MOORE, in morbis rebellibus, et ubi saliuatio alias requiriatur, dederunt, quauis uestra, per hebdomadas tres, sequens medicamentum, aspectu formidolosum, potens alterans, sed blandum; solius admistu Camphorae. Recipe Pil. de duobus gr. XV. Turpeth. miner. Camphorae ana gr. X. M. Primis diebus, aliqui sequentur uomitus, et aliquoties soluetur aliud. Sed succendentibus, omnia quietissima futura sunt. Medical Essays by a Society in Edinburgh Vol. IV. Art. IV. Est mercurius praecipitatus gryseus BATEI, addito purgante.

Idem experimentum, eodem euentu, sed cum profusis sudoribus, hic repetiit Illustris Medicus Imperatorius, Vir Optimus, ANTONIVS RIVE-

RIVERIVS SANCHE'S, nisi quod malum ue-
nereum inde plane sublatum non fuerit.

Sequentium experimentorum euentus specta-
ui ipse: *Vir, uenerea lue, cum exanthematis ad-
fectus, medicamentum BARRYANVM deuorauit
per septem dies sequentes. Primo die nausea or-
ta; dein sudor magnus: reliquis; nunc uomitus,
nunc multus alui fluxus. Die sexto coepit saliuia
fluere; et die septimo quidem, ad libras tres us-
que. Experturi, quid posset Camphora contra sa-
liuae fluxum: die octavo, nono, et decimo, singulo
data sunt camphorae gr. X. cum amygdalis dulci-
bus. Verum saliuiae copia decimo demum die di-
minuta est, sequentibus plane cessans. Interim
homo sic sanus est factus. Notandum haec eue-
nisse, in conclavi, ubi mercurialis saliuatio alias
confueuit institui.*

Aegri duo, quorum historias adiungo, habiti
sunt in cubiculo, a mercurialibus effluuiis puro.

*Homini, cui, praeter alia luis signa, fuerunt
interna narium ulcera, idem oblatum est medica-
mentum. Primis diebus quinque, nunc nausea,
nunc uomitus, ingruerunt. Post diem intercalarem
sexturn, continuauit uti per alios quinque
dies. Abstinuit rursum per dies duos. Denique
per tres insequentes iterum adhibendo, tandem fi-
nem consequitus est, ut medicandi, ita et morbi,
ulceribus narium, scroti et ani siccatis. Semper
nero,*

uero, cum uomitus, tum diarrhoea, uexarunt aegrum.

Alii, cui itidem fuerunt ulcera narium, dolores artuum, et reliqua luis phaenomena, datus est, quauis uestespera, per dies quatuor, puluis ex Turpeth. miner. gran. X. et Camphorae gran. XV. Quauis nocte, ingens diarrhoea fuit incommoda. Die quinto, qui fuit intercalaris, sudor multus. Sequentibus septem diebus continuis, reiterauit Medicamentum, a quo bis uel ter solutus est alio, nausea simul turbante. Quum per dies duos rursum abstinuisset, insequentibus quatuor, perrexit uti, cum diarrhoea non magna. Et eum in modum sanatus est.

In conlaui, saliuantibus dicato, sequentes aegri, ob luem uenereum, sunt tractati; et seruati omnes; sed non sine saliuatione magna. Vnus primo adsumsit puluerem ex Turpethi mineralis, et Camphorae aa. gr. V. Dein dupla dosi deglutiit eundem. Alius semper usus est hac ultima dosi.

Eiusdem luis ergo, unguento Neapolitano non-neminem inungi feci, atque quouis, quo uncus est, die, simul ipsum deglutire iussi Camphorae gr. X. Enim uero saliuatio sic non est coercita.

Neque gargarisatio frequens ex solutione Camphorae in oleo oliuarum, apta fuit, inhibere uel minuere saliuationem iam factam.

Illud confessi sunt omnes, saliuationem, ita exicitam, fuisse lenem, id est, non incommodam aegro, nec diu productam, adtamen ipsi persanando sufficientem. Saltim dedi operam, ut camphora non misceretur mercuriali corpori, nisi quando utendi fuit necessitas. Quod neglectum noui ab iis, qui mibi multiplicem experientiam obiecerunt, de inertia Camphorae in mercurium dulcem, huic, quauis dosi, adiectae.

Corollarium 15. Exigua dosis mercurii dulcis cum Camphora, est medicamentum diaphoreticum. Et repetita saepius, fit sudoriferum. Tale quoque est Turpeth minerale, cum Camphora commixtum.

Qui ergo morbi per illa medicamenta curantur; illi curantur uel per diaphoresim; uel per sdurem.

PROPOSITIO IIII.

*Si in qua febre, ualde maligna, acuta, immo acutissima; per naturam suam abitura in bубо-
nas, uel carbunculos, uel petechias, serum san-
guinis est coagulatum; et, concisa dosi, repeti-
tis uicibus, exhibetur medicamentum, sanguine
specifice grauius, in minima diuisibile, sistema san-
guineum citissime percurrens, per minutissima
corporis humani uasa facillime se penetrans, hu-
moribus corporis humani non miscibile, inque
ceteros, praeter sanguinem, non agens, nisi, qua-
tenus ui cordis et arteriarum sanguinearum, ma-
iori*

iori momento fertur, quam sanguis: dico, quamdiu illud medicamentum sanguini commixtum fluit, calorem corporis humani auctum iri, sed, quam primum in sistema serosum peruenit, et coagulationem seri sanguinis, febris illius auctae caussam non postremam, lentos adtenuando humores, morbidosque reddendo fluxos, tollit, augmentum caloris, et a coagulato sero, et ab ipso medicamento effectum, sensim in decremento fore; immo ipsam febrem acutissimam mox desitiram totam, absque bubonibus, carbunculis, uel petechiis; si medicamentum simul polluerit facultate, descripta actione, stimulum uel miasma, auctorem et febris et coagulatorum, immutandi, uel expellendi, uel utrumque efficiundi.

PROPOSITIO XV.

Mercurius dulcis, cum Camphora mixtus, et, concisa dosi, repetitis uicibus, exhibitus, est medicamentum, quod habet dotes, in antecedente propositione requisitas. Etenim mercurius dulcis, cum Camphora mixtus, et sic exhibitus, agit, sine molestia, atque solo momento, quo actus, ui cordis et arteriarum primi ordinis, momentum sanguinis superat: itaque sistema sanguinis celerrime pertransit, inque minutissima corporis humani uasa se penetrat (*Exper. 13.*). Atque potentissime adtenuando serum sanguinis coagulatum (*Coroll. 6. II. 14. et Exper. 8.*), febrem,

quantamcunque, non auget, sed minuit, cauen-
do a bubonibus, carbunculis et petechiis (*Con-
secl. 27. et 32.*); immo tollit, immutando uel
expellendo miasma (*Prop. XIII.*)

D E F I N I T I O. *Medicamentum alexiphar-
macum uoco mechanicum*, quando habet qualita-
tes mechanicas: *physicum*, quod habet physicas;
et tandem *physico-mechanicum*, quod habet
mixtas.

PROPOSITIO XVI.

Mercurius dulcis, cum Camphora mixtus, et
concisa dosi, repetitis uicibus, exhibitus, maxu-
ma cum probabilitate, potest statui medicamen-
tum, alexipharmacum, physico-mechanicum, in
peste, in bubonas finitura. Etenim mercurius
dulcis, praescripto modo, exhibitus, uidetur
omni indicationi satisfacere, pro felici persana-
tione pestis, in bubonas finiturae (*Prop. XIII.*).
Itaque recte haberi potest pro medicamento
alexipharmaco. Ast longe praestantius futurum
est, si cum Camphora combinetur (*Corollar. 10.*).
Enimuero haec omnia consequuntur ex qualita-
tibus mechanicas hydrargyri (*Coroll. 6.*), et phy-
sicas Camphorae (*Coroll. 10.*). Adeoque com-
mendatum medicamentum uidetur esse alexi-
pharmacum, physico - mechanicum, in peste,
in bubonas finitura.

Corollarium 16. Quae pestis adeo sic curatur:
ea curatur per diaphoresim, uel per sudorem
(*Coroll.*

(*Coroll. 15.*); prout, ab omni aeuo, intenderunt medentes. Substitui tantum medicamentum, indicationibus perfectius respondens iisque carens incommodis, quae consuetis sudoriferis, adhaerentia, pestem magis truculentam reddiderunt.

Scholion 5. Si obtinet casus, in *Exper. 8.* notatus, mercurius dulcis cum Camphora mixtus, uidetur quoque praestare illo **LENTILIANO**, ex mercurio dulci et lapide bezoar confecto.

PROPOSITIO XVII.

Cortex Peruuianus est medicamentum alexipharmacum, physicum, in peste carbunculosa. Quae fere sententia est **IOANNIS ARBUTHNORT** *Essay concerning the effects of air on humane Bodies.* Notissimum est; per corticem Peruuianianum afferri posse febres, intermittentes, ac remittentes omnes. Porro: Cortex temperat uitia bilis, praesertim acrimoniam eius: uti patet in cura auriginis, nec non eorum, quae fiunt in subito irascentibus. Tandem gangrenam auffert, et sphacelum fistit: prout Angli sufficienter probarunt. Iam, uigente peste, ad est febris (*Obseru. 10. et Obs. 6. Adpend.*). Miasma pestis bilem duodeni inuertit, sanguinem Venae Portarum, Bilis promum condum, ea que de caufsa, omnem Bilem corrumpit (*Obser. 12. Coroll. 13. 18. 19.*). In peste carbunculosa, integumenta communia, in loco carbunculi,

sunt mortua (*Obseru. 15.*) Adeoque cortici Peruuiano facultas alexipharmacum haud tantum competit in peste carbunculosa, sed et rationem sui habet in aliis quibusdam phaenomenis, id est, in qualitatibus physicis corticis. Adeoque ille cortex, in illa Peste, omnino uidetur esse medicamentum, alexipharmacum, physicum.

Scholion 6. Inde non tantum fluit eximius usus corticis Peruuiani in gangraena externa uariolosa: uerum etiam ex *Propos. VII. IX. et X.* potest intelligi, quod in uariolis pessimis; nitentibus in gangraenam, quae pus laudabile generare non possunt, nihil comparari possit, cum frequenti usu cōrticis Peruuiani: prout quoque comprobauit experientia. Conf. *Commec. Litter. A. 1741. Hebd. XXXIII. n. II.* et *Medical Essays Vol. V. P. I. Art. X.* Nec minus habeo pro certo, corticem, in truculenta illa epidemia uariolosa, cuius mentionem feci in *Experientia II.*, salubriter adhiberi potuisse.

Corollarium 17. An cortex Peruuianus etiam est medicamentum alexipharmacum, physicum, in Peste bubonacea: adeoque, si in hoc *Scholio 6.* exposita recogitaueris, uniuersale: uti censere uidetur idem I. ARBVTHNOT? Profecto, multum facit ad id credendum mirabilis illa *Obseruatio 24.* Statue per te ipsum, qui illum releges, ac conferes cum eis, quae ei conexa luculenter proposui.

PROPOSITIO XVIII.

Si quae sunt, quae possunt cauere contagium Pestis, uidentur ad haec tria reduci posse: Quae (A) miasmatis, adhuc inhaerentis aeris, uirulentam naturam immutant: (B) Miasma, corpore humano hauustum; aucta ui solidorum; uentriculi, intestinorum ac maiorum uasorum; expellunt: unaque prospiciunt κρατει bilis conseruandae, uel reddendae. Denique (C) Miasmati facilem egressum e cute parant, eidem forte specificie aduersa.

Ad primam Classem referto uapores acidos; potus acidulos et acidos, hosque inter princeps, acetum uini. Vide *Conseciarium 12.*

Ad secundam pertinet *Cortex Peruuianus*. Per hunc, in peste Massiliensi, Chirurgus quidam se sanum praestitit, referente I. ARBVTHNOT. Hinc laudatissima est *Tinctura Quinquinae* cum corticibus aurantiorum Hispalensium, et radice Serpentariae Virginianae, ex uino Hispanico, uel spiritu uini Gallico facta; quam eleganter proposuit I. HVXHAM. Vsu cotidiano *essentiae corticis Peruuiani*, se cum tota sua aula, multos annos in Hungariae insalubribus locis habitante, constanter ab omni febre paludosa praeseruauit BONNEVAL: ceteris Praetoribus, ac multo magis domesticis ipsorum, ab illa febre non immunibus, IOANNES GEORGIVS HENRICVS KRAMERV^S de Scorbuto.

Tertiae adscribo mercuriale medicamentum.
 Ut homo, quauis uespera, puluisculum ex mercurii dulcis grano j., cum Camphorae tandem, deglutiat. Nonne enim Turpethum minerale, canes rabiosos sanare potens, aequo potuit ipsos a rabie praeseruare? Vide *Experiens.* 7.

PROPOSITIO XIX.

Morbus pestilens, a miasmate, in pulmones inspirato, productus, transit mox in pulmonum gangraenam, nulla arte sanabilem (*Obseru.* 6. et *Consect.* 4.).

Corollarium 18. Adeoque, nisi receptum modo pulmonibus miasma pestilens uaporibus acidis forte immutari queat: morbus, inde sequuturus, est absolute lethalis.

PROPOSITIO XX.

In omni febre maligna, principio morbi, exhibendum est lene uomitorium. Atque huius exhibendi eo maior est necessitas, quo malignior fuerit morbus. Hinc in Peste est summa. Etenim in omni morbo maligno adeat simul ei proprium miasma (*Consect.* 40.), quod, uentriculo forte captum, non tantum humores, uentriculo et intestino duodeno proprios, inuertit (*Consect.* 13.), sed et mala multa uicino cordi infert (*Consect.* 14.), dein, integra sua ui, immiscetur humoribus circulantibus (*Consect.* 17.), totique

que bilis oeconomiae est infensissimum. Id de pestilenti uide (*Consect. 18. 19.*). Rabiosi ueneni similem effectum uiderunt **Gvckelinus** apud R. **Lentilivm**, et **Tavvry** *Histoire de l'Acad. Royale des Sciences 1699.* et **Ioannes Henricus Brechfeld**, *Act. Med. Hafn. Vol. V. n. 114.* Dato uomitorio, malignitatis seminium, uel ex toto, uel ex parte tollitur (*Consect. 15.*): unaque, per systematis biliosi concussum, educuntur biliosa, foetida, corrupta (*Consect. 18.*). Adeoque, per uomitorium, morbo maligno, malignitatis plurimum uerissime detrahitur. Nisi uero illud leue fuerit, excitando spasmos uehementissimos (*Obseru. 28.*), malum augebit. Praecipimus autem, illud exhiberi, principio morbi. Quid enim iuuabit, miasmate iam circumeunte omnes uias, cum uariis nostris humoribus? Quin tunc potius nociturnum putatur (*Obseru. II. Consect. 30.*).

Scholion. 7. Utilitatem horum uomitoriorum in malignis agnouerunt prudentes Medici Practici. In morbo graui, epidemico, cum petechiis uarii coloris, et nigris, uomitorium leue praemisit I. **Huxham** (*Experient. 10.*) In uariolis, quotusquisque idem non extollit? In rabie canina, ab ipso, semper curae initium fecit **SECRETA.** Apud R. **Lentilivm** *Iatromnemat. Medic. Theor. Practicorum Part. I. Cap. VIII. Scholio 2.* Quantum boni in Peste inde

prouenerit, docent *Observationes* II. 28. et *Obseru.* 13 *Appendicis.*

PROPOSITIO XXI.

Tollere morbum pestilentem, per viam resolutionis. Vel, si hoc fieri nequit, materiem eius critice euacuando, per glandulas serosas, praecipue inguinum: unaque impedire ortum carbunculorum, ac petechiarum.

I. Quam primum uentriculus male adficitur, cum phaenomenis, descriptis in *Obseruat.* 10. et 6. *Appendic.*, detur extemplo uomitorium; radix ypecacuanhae cum nitro; uel decoctum illius radicis; uel uitriolum album (*Propos.* XX et *Scholio* 7.).

II. Quauis hora tertia, exhibeat sequens medicamen. Rec. Stibii diaphoretici nitrati grana XV. Mercurii dulcis gran. jʒ. Camphorae grana jj. Misce, superbibantur seri lactis recentis, vel decocti hordei tepidi unciae IV. (*Prop. XVI.* et *Corollar. 16.*). Vel et detur, eodem temporis interuallo, apta dosis mercurii alkalizati, cum pauxillo Camphorae.

III. Inguinibus adplicetur emplastrum de meliloto, addita Camphora (*Conseſt.* 24. 26. 27.).

IV. Densis inguinibus, uel bubonibus profunde tumentibus (*Obseru.* 16. et *Conſect.* 31. 33. 34.), admoueatur emplastrum uescicans, uel solum (*Ob-*

(*Obseru. 29.*), uel emplastro de meliloto commixtum.

V. Victus sit acutorum (*Obseru. 28. et Obs. 13. Adpend.*).

PROPOSITIO XXII.

Si locus cutaneus rubeat, tumeat, caleat, ardeat, doleat; uel maculis fiat turpis: fas sit, sperare carbonem (Obs. 15.). Iuuabit ergo

I. Adtrahentia loco adfecto applicuisse:

II. Interne dari, omni hora quarta, corticis Peruuiiani electi drachmam dimidiam, cum aqua alexiteria lactis, uel alia diapnoica (*Prop. XVII.*).

PROPOSITIO XXIII.

Perfanare anthracem.

I. Agatur in suppurationem, profunda scari- fatione circumcirca in uiuis facta; quo exci- dant mortua (*Obseru. 15. et Obseru. 14. Adpend.*).

II. Interne detur idem cortex, modo, quem praecedens Propositio declarauit.

Scholion 8. Cetera, pro tractandis bubonibus ac carbunculis, facile sciuntur ex *Chirurgicis*: uel et ex *Obseruationibus*, modo citatis.



ADPENDIX. CONTINENS
OBSERVATIONES
DE
PESTILENTIA
QVAE
ANNIS. MDCCXXXVIII. ET. MDCCXXXIX
ODZACOVIVM. VASTAVIT

OBSERVATIO L

Quum Odzacouium, mense Iulio Anno MDCCXXXVII. expugnaretur, multa hominum ac equorum millia, uno, eoque aestuoso, die, perierunt, ferro, igne et aquis. Vnde primo tot caderum, uel non, uel minus recte sepultorum putredo; dein aquarum stagnantium et salinarum potus cotidianus; domicilia subterranea; continuus metus hostilis impetus; portractae uigiliae; defectus plurium, cum ad uitam necessariorum, tum eorum, quibus adsueuerant, efficere potuerunt, ut ipsa Pestilentia, mense Aprili anni sequentis, corpora militum, iam ad quosuis morbos disposita, inuaderet. Inuasit autem, cum bubonibus uariis; cum parotidibus; carbunculis; petechiis; uibicibus, ac profusis sudoribus.

OBSERVATIO 2. Exeunte mense Maio, contagiosus morbus occupauit multos, multosque occidit.

occidit. Durauit ille furor usque ad diem 12num Iunii, a quo usque ad diem 23um eiusdem multum diminuebatur. Per aliquot dies Iulii, nullus amplius infectus est: inde et numerus aegrorum decreuit, omniaque in melius mutata sunt, ut, mense Septembre, lues haec penitus extincta fuerit. Enimuero, mense Februario Anni insequenter, rediit idem morbus, mense Julio eiusdem, iterum, sed integre, desinens.

OBSERVATIO 3. Instrumenta, quibus Chirurgus usus est, adeo liuida et atra fuerunt reddita, quasi aqua forti imbuta essent. Quin immo capulum argenteum gladii, qui, per omne tempus pestis, tentorio adfixus fuerat, nigrescens factum est.

OBSERVATIO 4. Die 12mo Innii Ann. MDCCXXXVIII., quo Pestis furor cessare coepit (Obs. 2.), terra uehementer contremuit.

OBSERVATIO 5. tradit historiam primi infecti: Hora quarta post meridiem, horripulatio ingruebat; sequebatur aestus, cum dolore capitis: debilitas: anxietas: delirium. Adparuerunt bruno-rubra exanthemata in pectore: sub axilla sentiebatur dolor, sed sine tumore. Postridie erat mentis impos: maculae augebantur: et sub axilla dextra, fuit tumor durus, sine signis inflammatis. Vesperi; calor multum augebatur; respiratio erat oppressa; pulsus durus ac intermittens; lingua torrida; delirium maius: facies Hippocratica. Moriebatur sequente nocte. In cadauere aperto, uasa sanguinea capitis fuerunt sanguine turgida: dextrae cavitati cordis magnus poly-

polypus inerat: axillae glandula indurata fuit, magnitudine nucis iuglandis, in cuius medio pus repertum, non foetens, atque uiscosum.

OBSERVATIO 6. refert successionem symptomatum:

(a) *Qui peste corripiebantur, horripulationem patiebantur in prandio, uel illico, post hoc finitum, uel quatuor horis post illud.*

(b) *Eam excipiebant calor; nausea uel uomitus.*

(c) *Omnes habebant adpetitum deletum, ante, quam bubo, et carbo, uel resolutebantur, uel suppurrabant.*

(d) *Quo initio peste adficiebantur, illico eos defecerunt uires, quasi aucto corporis pondere. Immo et cadauera pestiferorum grauiora credebantur; etiam si extremitates diu post mortem flexiles manserint.*

(e) *Principio morbi pulsus nunc magnus et celer; nunc inaequalis et debilis, nunc profundus et intermittens. Ante mortem plerumque fuit durus et intermittens, uel debilis et celer.*

(f) *Ex urina iudicium nullum. Erat enim nunc pauca, nunc crassa, nunc non; cum, uel, sine sedimento.*

(g) *Multi ualde sitiebant. Alii omnem potum auersabantur.*

(h) *Plerisque fuit aluus stricta.*

(i) *Intolerabilis fuit capitis dolor, nonnumquam cum uehementi narium haemorrhagia, et rebelli contra omnia remedia; quales aegri erant, ebriorum instar; ueluertiginosi. Alii delirabant, cum agrypnis, oculis flammeis; adspectu truci.*

(l) *Haemorrhagia moderata, ante diem quartum*

tum oriens, febrem efficaciter suppressivebat; sed bubones ac carbunculi tarde suppurrabantur.

(m) Haemorrhagia uehemens, post quartum diem eueniens, lethalis. Namque secti bubones; scarifati carbunculi, exsiccabantur, hominesque moriebantur, cum conuulsionibus.

(n) Alii inciderunt in coma. Quales ante obitum conuellebantur, eaque uehementia, ut nonnulli, post erectionem penis, semen eiaculati sint. Vesicatoria, talibus aegris admota, uesicae loco, liquidam maculam effecerunt.

(o) Materia, reiecta uomitu, in nonnullis fuit, tamquam lac coagulatum; quamuis nec lac, nec laetificinia fuerint Odzacouii. Aliis reiecta fuerunt glutinosa, et nigricantia. Bilis uomitus initium uel finem fecit.

OBSERVATIO 7. enarrat historiam bubonum:

(a) Adparuerunt bubones apud aliquos, in primis scorbuticos, ante febrem, cum aliquo dolore, sed sine inflammatione.

(b) Durante febris impetu, in eodem statu permanserunt: sed illo cessante, alii resoluti sunt, alii induruerunt, nisi arte emollirentur.

(c) Multiplices fuerunt:

(A) In collo. Hi raro, uel tarde, suppurrabantur. Plerisque resolutebantur. Per multis mortem adulterunt.

(B) Parotides; quae periculosisimae fuerunt, etenim resoluti renuebant. Per emollientia tractatae, numquam fuderunt bonum pus, sed per tunicas abscesserunt, relinquendo cavitatem, ut contractio

tractio musculi sterno-cleido-mastoidae uideri potuerit. Plerisque fuerunt lethales. Comitabantur eas febris insignis, et dolor intolerabilis ad inferiorem maxillam.

(C) *Glandularum maxillae inferioris.* Hae ad suppurationem perducebantur numquam; sed uel tarde resolutebantur, uel suffocarunt aegros.

(D) *Subaxillares.* Harum pleraeque resolutebantur; paucae suppurabantur. Magnos dolores excitarent; praecipue, si utramque axillam occuparent.

(E) *Inguinum.* Hi in aliquibus sponte resolutebantur, quibus febris mitis; et transpiratio bona fuit. Alii, recte suppurati, sponte aperiebantur: uel mox emolliebantur. Peiores fuerunt maxime in scorbuticis: quando tota glandula, sensim tamquam corpus durum, sed sanguinosum, suppurando, excidit. Notabile fuit, scorbuticos ita scorbuto simul liberatos fuisse.

OBSERVATIO 8. circa carbunculos:

Efferebat se vesicula flauescens, uel liuido-nigrescens, quam ambiebat circulus rubescens, mox nigrescens. Ex incisa effluxit rubro-, uel coeruleo-flauescens ichor.

Paucis horis sic augebantur, ut in nonnullis Rublonem uel aequarent, uel superarent, si magnis musculosis partibus insiderent.

Qui neruosa tendinosaque loca occupabant. e.g. tempora, caput etc., ii semper habuerunt maiorem febrem coniunctam.

Raro fuerunt soli; saepe cum bubonibus complicati.

Vbiique aderant signa sphaceli.

Inhae-

Inhaeserunt omnibus partibus corporis: ipsis quoque superciliis, naso, scroto atque coli; exceptis tantum auribus, uola manus atque planta pedis.

Peste declinante, carbuncolorum ea erat facies, quae esse solet, ubi uestigantia effectum suum non ediderunt. Ita etiam erant comparati in iis, qui pestem sustinuerunt, et se aeri nimis cito tradiderunt.

Loca bubonum ac carbuncolorum, principio morbi, admodum doluerunt. Eo ipso die, bubo intumuit, uel aliquantum durus fuit. Sed anthrax secundo uel tertio morbi die obseruatus, utpote profundior.

OBSERVATIO 9. Quodsi bubones et carbunculi, incisione facta, exsiccabantur, uel non suppurrabant: nec non, si loco boni puris, ichor, uel flauescens, uel grysea aqua continuo efflueret; malum fuit.

Petechiae plerumque cum bubonibus coniunctae fuerunt, saepenumero adparentes die quarto, adficientes aegros delirio usque in maniam, ita, ut induti, tamquam sani uersantes, mira multa moliti sint.

Petechia, ante quartum, bruno-nigrae, uel liuidae, plerumque lethales.

Rubrae, die sexto uel septimo, in corporibus boni succi prodeuentes, abierunt, perspirando. Quibus si una coniunctus esset bubo, hic resolutebatur, petechiis pallescientibus, die duodecimo, uel quarto et decimo.

OBSERVATIO 10. Vibices rari fuerunt. Plerique in cadaueribus uisi. In uiuis adparuerunt in dorso, tamquam striae rubrae: in cadaueribus liuidae, uel atrescentes. Una adfuerunt cum bubonibus, sed ante obitum euanescentibus.

OBSERVATIO 11. Aliqui habuerunt bubones quinque, uel sex; adtamen sine febre; lectis se non addicentes: cum adipitu bono. Enimvero si homines habuerunt sudores largos, a minimo motu effectos: fuerunt semper animo erecto et laeto: temperamenti sanguineo-cholerici. His resoluti sunt bubones, intra hebdomadas quinque uel sex. Carbunculi eis cito sanabantur.

OBSERVATIO 12. Venae sectioni, in infectis institutae, mors cito successit. Idemque plane fuit, siue multum, siue parum sanguinis detrahatur: immo, quibus multum sanguinis effusum est, bi, post aliquot horas, interierunt.

Laxan-

Laxantia nullius usus fuerunt.

OBSERVATIO 13. proponit curam:

Omnes pestiferi copiose biberunt decoctum avenae excorticatae, cum decocto scordii diluto, adfusis spiritibus acidis.

Vomitoria in initio ualde proficia fuerunt; praecipue sal uitrioli, a scrupulo uno usque ad duos. Verum et radix ypecacuanhae, et tartarus emeticus adhibita sunt.

Emeticum male euenit iis, qui inde uel purgabantur, uel nullo modo cuacuabantur.

Hyperemesis sanabatur clysteribus, ex externo usus theriacae.

In deliriis profuit, applicuisse pedibus vesicatoria.

Mane exhibita fuit mixtura simplex ad guttas LX., uel acetum bezoardicum, cum spiritu nitri dulci, cocheleatim. Vel etiam essentia pimpinellae albae; scordii; millefolii; tintura tartari.

Post meridiem et uesperi, dati sunt pulueres nitroſi cum Cambora, et radice serpentariae Virginianae.

Omnia frigida exitialia fuerunt. Qui nosocomio illati sunt, pluia uel frigore affecti: hi, uel inter portandum, uel paullo post, obierunt.

OBSERVATIO 14. Proficuum fuit, bubones et anthraces, principio incidiſſe usque in induratam substantiam. Tum, sanguine aliquantum fluente, uulnus, linteo carpto, emplastro suppurante, et imposito cataplasmate emolliente tectum. Vnde mox imminuta febris: bubo suppurabatur, cum salute aegri.

Scarifatis carbunculis, applicata fuit tintura aloes et myrrhae: qua consumta, balsamum de Copiuā adhiberi coeptum est. Corrodentia, ficcando, et impediendo suppurationem, noxia.

Quibus, peste declinante, euenerunt carbunculi (Obs. 8.): hi sanabantur per interna, et externum usum solius unguenti albi camphorati.

Vesicatoria, in anthracibus, praesertim scarifatis, aliquid boni praestiterunt: sed, in bubonibus, nihil.

F I N I S.







